COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XVI. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXXI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourse, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar för Aår 1767. Vol. XXVIII. Med. Kongl. Academiens Tilſtånd. Stockholm tryckte hos Directeuren Lars Salvius, po deſs egen koſtnad, 1767. 8. mai. pl. 22. Tab. aen. 10.

i. e.

Acta Academiae regiae ſcientiarum Suecicae anni 1767. Vol. XXVIII.

Trimeſtre primum.

1. De *climate et agricultura Iaemtlandiae* refertur ex obſeruationibus OLAI GRAMBOM, et ERICI TRYGGDAHL. In magno Iämtlandiae lacu, glacies, qua inde ab initio nouembris plerumque tectus eſt, diffringi incipit circa 21 maii, ſumendo medium ex obſeruationibus 43 annorum; Medium ferendi tempus eſt dies 10 maii, colitur inprimis hordeum. Nix terram hyeme tegit et ſationi tam mature aptam reddit, neque nocet nix, ſata denuo obtegens. Meſſis medium tempus eſt 25 auguſti, vt 15 circiter ſeptimanis hordeum, ex quo ſatum eſt, maturum ſit. Haec ex obſeruationibus plus, quam 50 annorum. p. 1. p. 5.

v. II. 2. *Obſeruationes aſtronomicas, in itinere Caiaeburgum inſtituto et in reditu habitas*, edit ANDREAS PLANMAN, phyſicae profeſſor Oboenſis.

p. 20. 3. *Strata montium in Gothia Occidentali* (Weſtgothland) *Kinnekulle et Billingen* vocantur, deſcribit SAMUEL GUSTAVUS HERMELIN.

p. 34. 4. *Grubbiam, nouum genus plantarum* offert PETER. ION. BERGIUS. Trecentas plantas Capitis bonae ſpei, egregie conſeruatas, donauerat Noſtro MICHAEL GRUBB, director ſoc. mercat. Oriental. Indiae Sueuicae, et Acad. R. Sc. Sodalis.

p. 36. Ex illis hoc nomine inſignit BERGIUS fruticem quendam, cui nomen dat: Grubbiae, *roſmariniſoliae*. Chamaelaea Africana, rorismarini foliis rarioribus, floribus ex foliorum alis erumpentibus, HERM. Afr. 6. Characterem generis conſtituunt flores ſubterni tetrapetali, octandri, lanati, intra perianthium commune diphyllum. Figura additur.

p. 37. 5. *De truncis arborum in locis paludoſis, e fundo in ſuperficiem adſcendentibus*, refert LAUR. WOLTER ROTHOF, Lector Oecon. in ſchola Opilionum Alingſoſenſi. Seſquimilliari Suecico circiter ad boream vrbis Falköping, loca duo paludoſa ſunt, aliquibus in locis producentia ericam, myricam, caricem et ſimilia, aliis in locis nuda, vbi lutum nigrum et ceſpes igni aptus, a pluuia diffluunt, a ſole indurantur, vt ambulantes ferant. Arboribus accolae iam carent, ſed in his ipſis locis paludoſis apparent interdum trunci et radices arborum, quibus ligni loco vtuntur. Horum 30, 40, aut quotquot comparuerint in ſuperficie, ſi quo anno auferantur, ſequenti loco alii conſpiciuntur, maiori aut minori numero. Modos, quibus explicari poſſit hoc phae-

phaenomenon, plures enarrat, quorum ſumma huc redit, in aquam ſtagnantem delabi arbores, ad litora creſcentes, aut vallem, ſyluam ferentem, aqua quieſcente repleri, huic paludi deinde paullatim cruſtam ex vegetabilibus inprimis ſuperinduci.

6. *Iuglandis nigrae, arboris Americae borealis, proprietates et vſus* deſcribit P. KALM. Indigenam reperit plantam vſque ad gradum 41½ latitudinis; in borealibus vero locis in hortis cultam. Aliarum iuglandium Americanarum lignum album eſt, huius ſolius fuſcum, vnde nomen eius. In Penſyluania florebat 1749 d. 7. maii ſtyli noui, 1750 d. 5. maii; folia protrudebat d. 9. maii, nuces maturae erant circa finem ſeptembris, omnes fere deciderant d. 18. octobr. qua etiam folia fere deciderant, 1750, arbores foliis orbatae erant d. 28. octobr. Plantae et arbores vicinae pereunt; id Noſter explicat ex radicibus iuglandis late ſerpentibus, quae nutrimentum omne e terra aliis plantis praeripiunt. Eius rei experimentum captum eſt, cum iuglans extirparetur, quod in horto quodam nullas plantas adoleſcere ſinebat. Latiſſime per illum hortum magnae radices ſerpebant, paucae deorſum, pleraeque horizontales. Frondes ſupra vicinum hortum late eadem arbor extenderat, non aeque radices in terram vicini. In illo autem vicini horti laete omnia creſcebant, quod indicat, non ramos eſſe, aut aquam, ab arbore deſtillantem, quae plantis circumpoſitis officiat, vt aliqui credunt. Radices non totae fuſcae ſunt, vt lignum, interiora albeſcunt, ſed aëri expoſitae, fuſcantur. In venulis et poris arboris frequentes ſunt arenulae, ferro, quo formari debet lignum, inimicae. Hyemes regionis bene tolerat, moro infeſtas. Anno aetatis decimo nuces fert. Quatuor et quadraginta annorum Noſter vidit, pedes 54 altas,

p. 51.

p. 54.

p. 57.

tas et in diſtantia vlnae ſupra terram $3\frac{1}{2}$ vlnas craſſas. Foliis ob odorem grauem abſtinent animalia, erucae tamen illas adgreſſae ſunt, quas Noſter *) deſcripſit. Ob venas et maculas coloris magis fuſci aut dilutioris, aptum eſt lignum, ex quo elegantiora opera fiunt, pulcriora adhuc e radicibus craſſio-
p. 60. ribus. Nuces ſeruntur eae, quae, plenam maturitatem adeptae, deciderunt. Inſeruntur ſtatim eo loco, vbi perpetuo creſcere arbor debet, transplantatae arbores hyemes minus tolerant.

p. 64. 7. *Fornacum hypocauſtis calefaciendis emendationem* docet SAMUEL SCHROEDER, Conſil. rei metall. Tubus ferreus, ad angulos rectos inflexus, fornaci inſeritur, ita, vt e tubo calefactus aër in hypocauſtum ſe expandat, eius autem loco frigidus tubum intret ſimiliter calefaciendus. Ita parſimoniae ligni conſulitur, aere cubiculi, ſtatim cum accenditur ignis, incaleſcente.

p. 67. 8. *Quantum argenti e fodina Salenſi inde ab anno 1400 eductum ſit*, computat ABRAH. ABRAHAMSSON HUELPHERS. Vſus eſt antiquis documentis, quae non ſingulos annos exhibent, id vero oſtendunt, annorum 116, qui continentur inter annos ab 1400 ad 1765 elapſos, reditum fuiſſe marcarum 1, 131′ 006.

p. 73. 9. *Ad emendandam depurationem aluminis conſilia* edit TORBERN BERGMAN. Vt alumen ab vi-
p. 75. triolo martis admixto liberent, alcali addunt. Ea vero re ſimul alumen deſtruitur. Soluantur ſimul alumen et vitriolum martiale, inſtilletur ſolutio alcali

*) Vid. Kongl. Vetensk. Acad. Handling. för Aör 1764. Vol. XXV. p. 124. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 204.

li fixi vegetabilis et praecipitabitur terra martialis, colore viridi agnoſcenda, quae omnis poſtquam deſcendit, terra aluminoſa alba etiam praecipitatur. Qui pinguedinem aut acidum ſuperfluum, ſi alumini adhaereant, corrigi credunt, alcali addito, cogitare debent, ex alcali et pinguedine ſaponem fieri, multo facilius, pinguedine ſola, in aqua ſolubilem, atque pinguedinem ita non ſeparari, ſed intimius omni maſſae intermiſceri. Quantum alcalici addi- p. 78.
tur vltra limitem ſaturationis acidi, tantum aluminis deſtruitur. Noſter igitur ſuadet, vt abſtineatur ab admixtione alcali, ſed lixiuio, quo in cryſtallos coire debet alumen, admiſceatur argilla, pultis valde dilutae, forma. Ea in lixiuio circumacta, attrahit pinguedinem, magma vitriolicum, impura alia, acidum abſorbet. Ipſe in tentamine vſus eſt argilla, quam Colonienſem dicunt, tubis, per quas tabacum ſugitur, idonea, credit vero, et alias ſpecies adhiberi poſſe, dummodo abſtineatur ab iis, quae ferrum continent. Cum, chemia docente, alumen p. 79.
conſtat ex argilla pura, in acido vitrioli ſoluta, patet, ſi abundet lixiuium acido, addatur vero argilla, hinc alumen elici.

10. *Quaedam ad ſcriptum praecedens* obſeruat p. 80.
IAC. FAGGOT. Inprimis dubitat, an Suecicae argillae, a calce liberae, vſui futurae ſint, cum eae plerumque ferro et acido praegnantes ſunt. Eas adhiberi poſſe credit, quae cum acido efferueſcant. Cetera probat.

11. *Adhuc quaedam addit* ANTON VON p. 83.
SWAB. Inter alia explicat, cur alumen noui cuiusdam operis, Garpenſis, iam purius a ferro ſit, poſſit tamen, continuatis illis laboribus, eodem inquinari. Vitriolum reſtat in illo lixiuio, in quo alumen

p. 84. in cryſtallos coiit, *Mutterlauge* appellant; id vero lixiuium ad cryſtalliſationes ſequentes adhibetur, ergo paulatim ferrum alumini admiſcebitur, niſi modus procedendi mutetur et lixiuium illud adhibetur ſaltim alumini viliori parando.

Trimeſtre ſecundum.

p. 89. I. PET. WARGENTIN *de fumo ſolari.*

p. 97. 2. IAC. GADOLIN *de eodem.*

p. 110. 3. GISSLERUS *de eodem.*

Hoc nomine (*Solrök*) intelligunt meteoron in regionibus borealibus ſatis frequens, cum, feruente inprimis aeſtate et nubibus aut nebulis nullis comparentibus, ſolis tamen lumen ita hebetatur, vt vel meridie debile ſplendeat. Contigit eiusmodi quid in Gallia, d. 1 iun. 1721. et in obſeruationibus meteorologicis Cl. DU HAMEL DU MONCEAU nebula ſicca (*brouillard ſec*) appellatur. Noſtri in eo conueniunt, eſſe a vaporibus ſubtiliſſimis, viſum effugientibus, ſolis autem lumen impedientibus (*). Quaeſitum etiam eſt, quid eo faciat mos in regionibus borealibus vſitatus, partem ſiluae comburendi, vt cinere ager pingueſcat, *Suediande* appellant, germanice *Schwenden*, item ſyluarum incendia, fortuito aucta calore aeſtiuo vehementi orta. Quam rem inprimis

(*) Extat in LUDOV. PHIL. THÜMMIGII *meteoris varii et rarioris argumenti*, diſſertatio Halae 1722. defenſa. Phaenomenon ſingulare ſolis coelo ſereno palleſcentis, vbi Gallicum id phaenomenon, Vlmae etiam ab ALGOEWERO viſum, eodem fere modo explicatur. De fumo ab igne THÜMMIGIUS cogitare non poterat, neque forte Sueci de eo cogitaſſent, niſi nomine fumi moniti. Ceterum hoc THÜMMIGII ſcriptum ignoraſſe videntur.

primis GADOLINUS vberius tractat, oſtenditque, poſſe fumum, ex his ignibus oriundum, late ſpargi, et illi, qui proprie ſolaris dicitur, miſceri, meteoron tamen et oriri, cum nulli flagrent ignes. Calor eo tempore eſt ſuffocatiuus, reſpiratio difficilis, tuſſis, grauedo, dolores capitis frequentes hominibus, quos aërem, eo fumo ſolari infectum, reſpirare oportet. Vento diſpergitur, pluuiis praecipitatur, ſed niſi venti aut pluuiae magnum terrae tractum occupent, mox redit, plures interdum dies ſubſiſtens.

4. *Tres vermes marinos* deſcribit IO. ERN. GUNNERUS S. S. Th. D. Epiſcopus Drontheimenſis. Duo priores ad holothurias refert, vltimum ad actinias. p. 114.

5. *Raphanum ſatiuum gongyloden ſ. corinthium* deſcribit BENED. BERGIUS, Banci Commiſſarius. p. 124.

Cum vere 1765 a GRUBBIO, ex Sina reduce, ſemina raphani Sinenſis oleiferi accepiſſet, inter plantas, ex illis creſcentes, alias reperit, flore coeruleo, magis ſaturo, diſtinctas, caulis vero earum maior, radix inprimis inſuetae craſſitiei et longitudinis, eiusque maxima pars ſupra terram. Septembri adhuc florebant, dum ſiliculae demum ſe formare incipiebant. Quinque plantarum, quas reperit, cum noctes gelidae ingruerent, duas radices hortulano dedit, in cella ſeruandas ſub terra, caulem vnum absque radice in hypocauſto, aquae immiſſum, ad feneſtram poſuit, aquam recentem quotidie ſubminiſtrando, reliquas eſui adhibuit. Earum vna, pondere 8 marcarum, in parte inferiori diſciſſa, nihil filamentoſi aut ſpongioſi exhibuit, ſed ſucci plena fuit et compacta, ſaporis gratiſſimi, quem raphanus habere poteſt, ei, quem habent raphani minores (*radieſ-* p. 128. p. 129.

gen) ſimilis, non acris. Prope verſus extremum ſuperius pauliſper ſpongioſa in medio erat haec radix, magis et magis ſpongioſa, quo magis ad caulem, qui inde progerminauerat, accederet, credit tamen Noſter, hominibus 20 ſatisfacturam fuiſſe, vt appetitui ſuo indulgere potuiſſent. Radices, hortulano traditae, vere ſequenti bene ſe habuerunt, florentes tota aeſtate, ipſoque adhuc autumno et ſemina ferentes, quorum alia alio tempore matura-
p. 130. ſcebant. Caulis, aquae immiſſus, tres vlnas longus, in parte inferiore duos pollices craſſus, ſemina matura tulit, ex quibus raphani progerminarunt, quod quidem experimentum vtile eſſe poteſt ad obtinenda ſemina matura ex plantis, quae ſerius florent, vt iis frigora autumni metuantur. Videntur vero Noſtro, requiri caules craſſiores, longiores, ſucci pleni, et vt aqua ſaepius mutetur. Terram his raphanis conuenire expertus eſt Noſter argillaceam, humidam, non compactam, humo intermixtam, perierant fere et a vermibus conſumti erant, quos hortulanus terrae, fimo calenti immiſerat. Vtilem autem hanc raphani varietatem nullus recentiorum nominat, neque vidit, qui horti culturae cauſa, Galliam, Angliam, Batauiam, Germaniam peragrauit
p. 133. ANDR. KALLSTROEM, Regis Sueciae horti magiſter. Igitur nouam credit iure appellari et gongyloden vocat, ad imitationem braſſicae oleraceae,
p. 133. cui id nomen tribuitur. Sed apud THEOPHRASTUM Hiſt. Plant. L. 7. c. 4. p. 137. verſ. THEOD. GAZAE Corinthius raphanus ita deſcribitur, vt illum eſſe perſpicuum ſit. THEOPHRASTUM ſecutus eſt PLINIUS L. 19. c. 5. niſi quod napum vocet.

p. 134. 6. *Experimenta varia, ad rem tinctoriam pertinentia*, tradit PETR. ADR. GADD Prof. Chemiae Oboenſis.

enſis. Inueſtigauit, quae plantae ad colorem flavum linteis, laneis, ſericis dandum, optimae eſſent. Inprimis ſolidaginem Canadenſem, virgae Canaden- p. 142.
ſis nomine alias notam, laudat, quod pulchritudine et conſtantia coloris Vouedam (*Vau*) aequet, imo fere ſuperet. Colligi ſuadet flores et folia tum, p. 143.
cum floruit planta, ſerius collecta, minus pigmenti praebent. Fert planta clima Finnicum.

7. *Singularem oculi morbum* deſcribit IO. L. OD- p. 145
HELIUS M. D. Medicus aulae. Ruſtico poſt ophthalmiam humidam, ſueto more, cataplaſmatibus calidis, male ſanatam, leucoma vtrumque oculum excoecauit. Remediis illis adhibitis, quae in praecedentibus *) probauerat, leucoma imminutum eſt, viſus quodammodo aegro redditus, ad quem cum ſiniſtro oculo vti ſe referret aeger, apertura inſueta informis in ſegmento iridis ſuperiore reperta eſt, per quam intrabant radii lucis. Colligit hinc Noſter, ſi viſus perierit, ob pupillam omnino contractam, aut capſulae lentis impellucidae factae adnatam, aut ex loco ſuo detruſam et, lente cryſtallina diffracta, in particulas rurſus conglutinatas repletam cet. poſſe acu acutiſſima, inducta duabus aut ad ſummum tribus lineis ab orbiculo ciliari, nouam iridis aperturam fieri, qua viſus reſtituatur coeco, alias inſanabilis oculus depictus exhibetur bis, cum prior figura non ſatis exacta fuiſſet. Tab. IV. et Tab. X.

8. *Obſeruationi huic* quaedam addit OLAUS p. 147.
ACREL. Modum, iridem vt radii lucis intrent, artificiali quadam pupilla aperiendi, probat, niſi forte haec pupilla, coeunte rurſus vulnere, euaneſcat.

Deinde

*) V. Kongl. Vetensk. Acad. Handling. för Aör 1765. Vol. XXVI. p. 290. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 25.

Deinde genera pupillarum praeternaturalium ex Auctoribus recenſet.

p. 148. p. 153. 9. *Parochias Halltorp et Vaxtorp oeconomice* deſcribit ADOLPHUS MODEER, Geodaeta extraord. Singularem cauſſam reddit, cur pauci annum aetatis ſeptuageſimum multum ſupergreſſi, numerentur. Cum deos falſos colerent Sueci, decrepitos occiderunt iuniores, *claua*, vt fertur, quam *Senum* dixere (*ätte klubba*) inde mos durat, vt ſenes veram aetatem profiteri nolint.

p. 158. 10. *De figura telluris ex penduli, quod ſecundis ſingulis it aut redit, diuerſa in diuerſis locis longitudine definienda* agit FRID. MALLET, Vpſaliae Obſervator Regius. Initium diſſertationis ſaltim exhibetur.

p. 163. 11. *Oſſificationes aortae, vbi ex corde exit, apertas*, deſcribit ROLAND MARTIN M. D. Prof. Anat. et Chir. Sexagenarius ſaepius conqueſtus de reſpiratione difficili, fere ceſſante, laſſitudine, thorace velut onere grauato; inprimis poſt cibum, vt ſolebat, copioſe ſumtum, ſubito obiit. Cum aperiretur cadauer, haec animaduerſa ſunt: liquor pericardii ſolito copioſior, pulmones ſanguine vltra, quam alias eſſe ſolent, repleti, rubicundi, inprimis lobi inferiores, vnus ſiniſtri pulmonis, alter dextri, ventriculus dexter cum ſinu venae cauae magis vacuus ſanguine, quam plerumque eſt, ſiniſter autem plus repletus ſanguine, cor hinc velut expanſum; vbi ſiniſter ventriculus in aortam aperitur, annulus, veluti aperturam circumdans, cartilagineus, elaſticus, durus, eminentiis acutis inaequalibus aſper, illae a perimetro arteriae verſus centrum extendebantur, ſimul valuulas ſemilunares amplexae; valuulae hae

hae oſſeae ac durae, fragiles, expanſae, irregulares, vna inprimis illarum, preſſa et veluti puncta, ab eminentia oſſea acuta earum, quas diximus. Ceterum arteria extra cor in ſtatu naturali, nihil in ea fuit, nec polypus. Caſum hunc ſimilem pronunciat Noſter ei, quem deſcripſit his ipſis actis *).

12. *Calorem corporis, quomodo expertus ſit imminui, poſt ſanguinem e vena ſecta miſſum* narrat ANTON MARTIN Medic. Cand. Anno 1765 d. 22 maii, hora 11 antemeridiana ſanguinem miſit. Paulo ante hos expertus eſt gradus caloris, in diuerſis corporis partibus **) Manus 36, ſub axillis 36, in thorace 33, in regione ventriculi 33, in lumbis 36, in flexura genu ***) 33, in planta pedis 33, ſumma 241; eo gradu calere ſolet tempore matutino. Hora 12 calor quibusdam in partibus imminutus eſt, in aliis auctus, totus 242; hora 4 pom. 245, hora 9. veſp. 243; die ſequenti hor. 7. inſueto more frigidus ſibi viſus eſt, et ſi veſtes, camera, cet. eſſent vt ante. Manus 30, axillae 35, thorax 34, regio ventriculi 33, lumbi 36, flexura genu 33, planta pedis 28, totus calor 229, ab illo diei praecedentis mane, deficiens gradibus 12. Porro fuit calor matutinus die 24; 232: d. 25: 235; d. 26. fere vt conſuetus. Itaque ſuetus calor quarto demum, poſt ſanguinem miſſum, die rediit, inprimis manus et pedes friguerunt. Incrementa caloris ſtatim poſt ſectam venam, cibo adiuncto, motui, adſcribit. Internum p. 165.

*) Vid. för Aör 1765. Vol. XXVI. p. 292. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 26.

**) Sueci poſt CELSIUM thermometro vtuntur, inter punctum congelationis et aquae ebullientis in gradus 100 diuiſo.

***) Eum gradum hic Auctor errore ſcribentis omiſit, tantum autem fuiſſe patet ex calculo, et collatione experimentorum ſequentium.

ternum calorem nihil esse mutatum ex vrina colle-
git. Sanguinis vncias 5 aut 6 misit. Aër in came-
ra calebat gradibus 16. 18.

Trimestre tertium.

p. 169. 1. *De parallelogrammis, figuras, datis figuris si-
miles describendas, idoneis, Pantographa vocant*, agit NIC. MARELIUS.

p. 180. 2. *Articulus IX Trim. II. continuatur.*

p. 193. 3. *Item Art. X. Trim. II.*

p. 209. 4. *Animaduersiones Commissionis Regiae in tabulas, quibus numerus incolarum Sueciae recensetur*, edit EDUARD. FR. RUNEBERG. Iam agit de copia ho-
minum in quouis quatuor illorum ordinum, in quos Sueci diuiduntur, nobilium, clericorum, ciuium, rusticorum.

p. 245. 5. *Piscem, Suecis* Lerbleking *appellatum*, describit PETR. OSBECK, Verbi diu. Min. ad Haslöf in Hallandia. LINNAEI Gadus pollachius Syst. Nat. ed. XII. inter pisces minus gratos gustui refertur, vescuntur tamen illo. Sistitur icon piscis. Tab. VII.

Trimestre quartum.

p. 249. 1. *Quibus mensibus in Suecia plurimi nascantur et obeant*, edit P. VARGENTIN. Ex tabulis natorum per vniuersam Sueciam, obseruationibus 13 anno-
rum inter 1749. 1763 (annos 1755; 1758 negle-
xit Noster) haec colliguntur: plurimos nasci se-
ptembri, pauciſſimos iunio, numeri natorum his mensibus sunt in ratione 209536: 82313, secun-
dus

dus numerus, quarta ſui parte auctus, nondum primum exhibet. Ditiſſimi natorum fuere ſeptember, mars, februarius, ianuarius, pauperrimi auguſtus, maius, iulius, iunius, isque ordo plerumque et ſingulis annis obtinuit. Cum vero vnus menſis plures dies habeat, alius pauciores, primo in tabula ponit Noſter, quot re vera quouis menſe nati ſint, deinde p. 252. quot ex hoc numero vere natorum debeantur nati eidem menſi, ſi fuiſſet dierum 31. Retro autem computatis a quouis menſe 9 menſibus, reperitur plu- p. 253. rimos generari decembri, deinde aprili, maio, iunio, pauciſſimos auguſto, ſeptembri, octobri. Eius rei cauſam nullam reddere audet, niſi quidpiam huc faciant, et quod vere omnis laetetur natura, et quod longae ſint decembri noctes, et quietiorem hoc menſe degant vitam inprimis ruricolae. Ex obſeruatio- p. 255. nibus 12 annorum moriuntur plurimi aprili, deinde maio, martio, februario, iunio, pauciores ianuario, iulio, decembri, auguſto, pauciſſimi nouembri, ſeptembri, octobri. Numerus octobri mortuorum non niſi duas tertias continet numeri aprili mortuorum, reductis numeris ad menſes dierum 31. Numerus primis ſex anni menſibus defunctorum quinta parte excedit numerum vltimis ſex menſibus mortuorum. Numeri ſingulis menſibus mortuorum creſcunt ab initio hyemis menſe decembri, donec hyems finiatur aprili, deinde paulatim decreſcunt vſque fere ad finem autumni. Eius rei cauſſam ſatis apertam efficiunt mutationes ſubitae caloris et frigoris, quae contingunt hyeme exeuntibus e cameris valde calefactis, aut in eas redeuntibus, et ipſe valetudini noxius calor ſuffocatiuus hypocauſtorum.

2. *De femina, fetus reliquias nouem annis in vtero gerente,* refert DAN. SCHULZ M.D. Art. Obſtetr. Prof. et Dir. Ruſtica aetatis 46 annorum, cum, ex- p. 259.

eunte

eunte anno 1756, vndecima vice concepiſſet, ſuo tempore ſeptembri 1757. dolores ſenſit, partum vero nullum enixa eſt. Emiſit vero humorem aquoſum, ſanguineum, quo morbo decubuit vsque ad ianuarium 1758, tunc ſurgere a lecto coepit et ſufficere laboribus domeſticis leuioribus, ſentiens tamen interdum dolores vehementes, inprimis in latere dextro. Iunio 1765 ceſſauit fluxus humoris ſanguinei, aeſtate ſatis valuit, ſed auguſto eius anni difficulter vrinam miſit et dolores ſenſit vehementes velut pariturae, quadam nocte emiſit humorem mucoſum, ſanguineum, deinde vſque ad finem anni paulo melius ſe habens. Initio anni 1766 in toot corpore ſenſit ſpaſmos vehementes. Feminam, quae obſtetricias manus eo in loco praeſtabat, conſuluit,
p. 260. haec vero chirurgum I. HUMBLE. Orificium vteri repererunt clauſum, iniectionibus oleoſis, binis ad minimum quotidie, ſeptimanis ſeptem, effectum eſt, vt aperiretur. Coeperunt inſtrumentis comminuere oſſa in vtero, extracta eſt cum membranis et muco, maſſa quaedam, cuius ſitus in regione dorſi, exitui excrementorum obſteterat. Martio et aprili, ſeptem diuerſis operationibus 128 fruſta oſſea exemta ſunt, multum praeterea ſanguinis grumorum, membranarum portiones 6. Os magnum capitis meatum vrinarium exulcerauerat, ſed is ſanatus eſt et emiſſio vrinae facilis rurſus reddita, catheteres immiſſo. Femina, licet debilis, aeſtate ſequenti ſuperauit incommoda omnia geſtationis 9 annorum. Veritatem hiſtoriae probat narratio, munita ſubſcriptione obſtetricis, chirurgi, parochi et ipſius mariti. Oſſa Societati Regiae exhibentur. De iis poſt erit dicendi locus. Subiecit Noſter, fetuum in vtero mortuorum, et diutius geſtatorum, imo feminarum, quae conceperunt, cum ſceleton embryonis adhuc vtero geſtarent, ex variis Auctoribus hiſtoricis plura, quaedam ſatis incredibilia exempla.

3. Of

3. *Ossium praefatorum descriptionem et icones* exhibet ROL. MARTIN. Selegit, quae satis adhuc agnosci possunt, et faciunt aliquid ad osteogoniam. p. 265. Sunt illa inprimis, portiones ossis frontis, ossium temporum, et alia ossa capitis. p. 271. In maxilla inferiore ambae tabulae separatae sunt, vt efficiant cauum, alueolis omnibus commune; interna superficies minor est exteriore. Adsunt etiam clauiculae extremitates sternalis et acromialis. p. 272. Tibiae pars superior, basis radii, costae quaedam. Optime conservata et minimas a putredine mutationes passa sunt ossa caluariae, indicio eo, primum in foetu durescere. Quae tamen illorum plana sunt, magis erant in partes diuisa, prouti substantia illorum radiata, magis remota erat a punctis ossificationis. Spongiosorum vestigium supererat nullum. Extremitatum ossa pleraque soluta. Vertebrarum nihil supererat ob substantiam illarum, ea aetate, spongiosam, et processus fere cartilagineos. Ex eo autem, quod ne alueoli dentium quidem distincti appareant, colligit, quam incredibiles sint obseruationes, quae ossa, interdum in tumoribus cysticis abdominis reperta, pro dentibus foetus habent.

4. *Methodum calore focorum, vbi ferrum funditur, ad frumentum siccandum vtendi*, exhibet PETR. WASSTROM. Camerarius. p. 273.

5. *Articulus II Trim. III. concluditur.* p. 280.

6. *Casus duos partuum, vbi orificium vteri coalitum erat*, enarrat HERRMANN SCHUTZER Arch. Reg. Praemisit cogitata de partuum diuisione vtilius, quam receptum est, facienda. p. 301. Diuidi posse credit partus generantium pro ratione *fetus, qui editur* aut *partium genitalium* parientis; in his spectaP. 304

ri poſſe impedimenta, quae naſcuntur, vel a molli-
p. 305. *bus* partibus, vel a *duris*. In caſu primo eorum, quos narrat, veſicam quandam diſtentam admodum tactu ſenſit, orificium tamen nullum percipi potuit, digito circumcirca moto, in parte autem infima, verſus inteſtina, rugam exiguam animaduertit, grani hordei
p. 306. magnitudine. Indicem igitur dextrum, oleo illitum, immiſit vaginae vteri, et ad locum illum rugae promouit, catheterem muliebrem, ſiniſtra prehenſum, eidem loco admouit, ibi firmiter tenuit, extremo tamen acumine oblique verſus os coccygis directo, ne aut veſica rumperetur, aut laederetur caput infantis, ſi in debito ſitu eſſet. Cum acumen inſtrumenti ſeparaſſet filamenta carnea concreta orificii vteri, continuarentque dolores partus, preſſione catheterem vlterius verſus ſuperiora promouebat. Iam minus reſiſtentiae ſenſit, et guttas ſanguinis in catheteris parte inferiore, hinc collegit, apicem catheteris tranſiiſſe orificium vteri, qui cum per tres aut quatuor lineas intraſſet, illum manu dextra prehendit, magna cautione adhibita, preſſit verſus ſuperiora, verſus inferiora retraxit, in orbem mouit, donec digitum indicem poſſet immittere; omnia haec peregit, cum dolores ceſſarent. Poſt aliquot dolores iam duos digitos introducere potuit, tribus autem horis apertura ſatis ampla erat, per quam membranae, fetum continentes, iam protrudi incipiebant, igitur, cum perciperet, caput infantis bene ſitum eſſe, reliqua cenſuit naturae committenda. Itaque paulatim maior portio membranarum, quae fetum continent, prodiit,
p. 307. diſruptisque tandem membranis, caput infantis primum exiit, et infans ſanus in lucem editus eſt, poſt dolores 18 horarum inde ex quo vterus fuerat
p. 305. apertus. Antequam vero advocaretur, duabus diebus et noctibus dolores parturiens ſenſerat vehe-

mentiſ-

mentiſſimos, obſtetrice, quae iam ſenſerat vterum
eſſe clauſum, aliud auxilium, praeter ſectionem cae-
ſaream, neſciente. Poſt illum partum nihil incom- p. 307.
modi ſenſit mater, niſi tribus proximis diebus diffi-
cultatem ſecum excernendarum; octo ſeptimanis
poſt partum menſtrua rediere, duobus autem annis
poſt rurſus peperit, incredibili facilitate et breuiſſi-
mo tempore. Alter caſus, tempore prior, ſimilis huic
eſt. Filamentis carneis, catheteris ope, ſeparatis,
poſt quatuor aut quinque dolores apertura vteri ſa-
tis ampla euaſit, vt digitum introducere opus non
eſſet. Partus hic breuiore tempore abſolutus, cum
ruga illa exigua, orificium vteri coalitum indicans,
in medio eius eſſet. Qui vero dubitent, vtrum coalitio
vera in his caſibus obtinuerit, an ſaltim ſtrictura ori-
ficii vteri; item qui quaerant, quomodo orificium
vteri coalitum cathetere obtuſo aperiri potuerit abs-
que doloribus cet., illis haec regerit: In vtero con- p. 310.
ſtricto veſtigium ſemper orificii ſentiri, quale hic
ſentiebatur, omnino nullum a doloribus parturien-
tis ampliari tantillum, orificium vteri conſtricti, ca-
theterem vero ob tenuitatem ſuam in eo parum
prodeſſe, nec ab eo intruſo ſanguinem elici, in his
autem caſibus ſanguis fluxit a filis, facile ruptis, quo-
niam valde tenſa erant, nec multum ſanguinis fluxit,
cum tenuis catheter non niſi pauca fila rumperet.
Cuius hiſtoriam ſecundo loco retulit, orificium vteri p. 312.
ſex circiter ſeptimanis ante partum apertum repe-
rit, et in eo partem inuolucri fetus, partum tum ſa-
tis propinquum ſuſpicatus. Tribus ſeptimanis ante
partum vehementer doluerunt genitalia, vt ea tangi et
inquiri aegra vetuerit. Adhibitis cataplaſmatibus, me-
dicamentis reſoluentibus, enematibus, foetor putridus
cum ſanie ex vagina vteri prodiit, reſtituta eſt pau- p. 313.
lo poſt aegra, iniecto decocto altheae cum melle ro-
ſarum. Vlcus igitur credit Noſter fuiſſe circa orifi-

cium vteri, ſiue eo rupto, orificium excoriatum concreuerit, ſiue coalitio inde nata ſit, quod orificium valde humectatum fuit, et ab illis membranis, ſotum continentibus, quae intrauerant, et ab iniectionibus. Femina, cuius hiſtoria primo loco narratur, tempore grauiditatis nihil extraordinarii ſenſit, niſi ſummam genitalium ſiccitatem. Anno 1747 Noſter Academiae Regiae exhibuit caſum feminae, quae partum biennem ſe geſtare credebat, ibi etiam dictum eſt, de vtero coalito poſt partum, inſtrumentorum auxilio promotum.

p. 315. 7. *De habitu magnetis natiui in fodinis, vbi reperitur*, refert L. B. SAM. GUST. HERMELIN, quae vidit in vna alteraue Sueciae fodina. Magnes inter mineram ferri reperiundus, lineam, per polos ſuos tranſeuntem, nunquam habuit horizontalem, ſed vel verticalem, vel paullulum inclinatam parte inferiore attrahente acus magneticae extremum auſtrale, ſuperiore boreale; vt magnetis polus borealis ſit inferior, auſtralis ſuperior. Alicubi repertus eſt magnes inter mineram ferri, et parietem, (*Saalband*) quo concluditur interiora minerae a parietibus remotiora, nullam vim magneticam oſtendiſſe, etſi eandem texturam exhibentes cum eo, quod magneticum erat. Ceterum non valde profundos magnetes reperiri, vidit, et iis in locis, vbi per rimas lapidum aër et aqua penetrent, quorum partes aliquas eſſe in concilianda vi magnetica exiſtimat. Situm fere verticalem polorum conuenire cum theoria, quam ſuadent magnetes artificiales, animaduertit.

p. 319. 8. *Quaedam ad ſcriptum praecedens* notat 10. CAR. WILCKE. Lector phyſ. exper.

9. *Fi-*

9. *Febris petechialis, algidae (kaltes Fieber) simi-* P. 320.
lis hiſtoriam ſcribit IO. GUST. ACREL M. D. Adi. Med. Acad. Reg. Vpſal. Praeceſſit epidemiam hanc hyems ſeuera et diuturnior, cuius ſub finem tempeſtas varia, gelu et degelatione alternantibus, et nebula ſpiſſa ad litora Scaniae, exeunte februario. Eo menſe, pluribus, omnis aetatis, inſueti ſanguinis profluxus ex naribus, haemorrhoidibus, menſtruis, ſanguine puro inter teneſmos profluente. Haec autem mox tranſibant, vnicus febrem ſimul ſenſit. Tempeſtate ſimiliter varia vſque in medium martii continuante, fluxus illi ſanguinis parciores. Initio aprilis dies calidiores, noctes toto menſe frigidiſſimae, tempeſtas niue, pluvia, ſole ſplendente, varia, ventus vehemens *Sudoſt.* Sub initium eius menſis, cum ſolent ingruere
in Scania febres, petechialis illa graſſari coepit, cu- P. 322.
ius primo ſtadio, febris algidae acceſſum ſentientes aegri, poſt duos circiter dies tertiana vernali ſe laborare experti ſunt quinque aut ſex diebus non omnino lecto decumbentes. Secundum ſtadium exortum eſt poſt aliquem febris illius acceſſum, tertio aut quarto paroxyſmo pulſus obſeruatus eſt debilis, quaſi contractus, non velocior naturali, pectus velut preſſione anxium, ſudor frigidus, tremor partium
omnium muſculoſarum, plurimi ſimul ſurdaſtri; So- P. 323.
ptimo die plurimis ſanguis ex naribus, aliquibus ſanguis tuſſi eiiciebatur, menſes praeter morem. Paululum ante aut poſt hunc ſanguinis profluxum, in collo, pectore, extremitatibus, maculae primo punctorum minutorum forma, poſt ampliatae, plerumque tranſeuntes omnes colorum varietates a rubro ad nigrocoeruleum. Symptomata haec continua, ſed vrinae, alternis diebus, ſedimentum albidum, interea clara erat vrina, cum nubeculis ad fundum. Poſtquam comparuerant maculae illae, plu-

rimis mens alienari, inſania ad certum aliquod vnicum obiectum pertinente. Surditas aucta. Hoc ſtadium durabat ad diem nonum. Tertio ſtadio, cum maculae omnes erupiſſent, ſudoris odor vehemens et ſingularis erat; ſurditas adhuc maior, tremor abiens in conuulſiones, alienatio mentis vehementior, vſus linguae periens, vrinae ſedimentum nullum, mors die 9, 11, 13. Eum ſtatum, qui ſuperabant, dubii iacebant vſque ad diem 17; quo quartum ſtadium ingruebat. Pulſus a contracto, qui huc vſque fuerat, liberior, interdum ſputum eiiciebatur, pauci ſudabant, alienatio mentis non niſi veſperi. Maculae, eodem ordine euaneſcentes, quo apparuerant, vrinae ſedimentum per omnia ſtadia
p. 324. reconualituris. Cum adeſſet Noſter fortuito aegris duobus, die 21 induſia mutantibus, quod toto morbo factum non fuerat, accuratius inſpexit dorſum, humeros, brachia, partes alias perpetuo tectas, et veluti a vernice ſuperinducto nitentes vidit. Digito admoto, facillime epidermis receſſit, digito vero adhaeſit ſubtilis rubedo, minio, ſubtiliſſime elaborato, ſimilis. A pluribus partibus corporis copia quaedam eius coloris abradi poterat, etſi plurimum induſio adhaeſiſſet. His duobus aegris ſymptomata maligna vehementiſſima contigerunt, ab iis tamen ſuperata. In aliis nil eius rubedinis vidit. Quod medendi methodum ſpectat, corticem Peruuianum, nullo medico in conſilium aduocato, ſumſerat aeger aliquis, cum graſſari inciperet, epidemia et obiit, alius poſt idem remedium ſumtum difficulter euaſit.
p. 325. Id effecit, vt a cortice abſtineretur. Venae ſectio nil profuit, forte nocuit, poſt eam enim in primo ſtadio, pulſus debilior et alienatio mentis. Veſicatoriorum et ſimilium effectus nullus. Ceterum, maculis et profluuiis ſanguinis, indicantibus ſanguinem dilutiſſimum, acidis mineralibus dulcificatis

vſus

vſus fuit, inprimis ſpiritu vitrioli, item cordialibus, vino Rhenano et Gallico, interne et externe in ſtadio 2 et 3. In vltimo data ſunt inprimis, quae viribus ſubuenirent, item praeſcripta eſt diaeta idonea. Cum ceſſarent hae petechiae, ſecutae febres vulgares et rheumaticae per integrum maium.

10. *Febres malignas petechiales epidemicas Hol-* p. 326.
miae, deſcribit PET. ION. BERGIUS. Erraſſe medicos ſuſpicatur, qui macularum eruptionem pro critica habuerunt. Ea ſuſpicio naſcitur ipſi ex ſimilitudine macularum illarum cum purpura, eſt autem purpura, experientia teſte, mere ſymptomatica. Non minuitur febris cum erumpunt petechiae, ſed ſymptomata omnia peiora fiunt, indicio, nihil hic eſſe critici. Quibusdam etiam nullae maculae erumpunt, aut ſtatim rurſus euaneſcunt, nulla inde p. 332.
oriunda ſenſibili mutatione febris, aliqui conualeſcunt non euaneſcentibus maculis. Medici illa, quam erroneam ſuſpicatur, opinione ſeducti, attentionem forte ad maculas direxerunt, quam febri debebant, regimine calido et diaphoreticis ſanguinis calorem auxerunt et putredinem. Ipſe contra, vt refrigeraretur aeger, potiſſimum curauit, inteſtina purgarentur, putredini obuiam iretur. Ea in re p. 333.
conſentientes habet medicos celeberrimos. Veſicatoria vtiliter adhibuit, cum ingrueret delirium et pulſus fieret remiſſior. Corticis vſus nullus fuit, niſi finita febre, ad vires roborandas et ventriculum reſtituendum.

11. *Machinam, qua Sinenſes oleum exprimunt*, p. 333.
deſcribit CAR. GUST. EKEBERG. Simplicitate commendantur machinae, comminuendis ſeminibus, et oleo exprimendo, ipſaque haec negotia peragendi methodus.

II.

British zoology. Vol. I. et II. Claſſis I. Quadrupeds; Claſſ. II. Birds; with an appendix, an eſſay on birds of paſſage. 8. Alph. 1. pl. 11. tab. aen. 18. Vol. III. Claſſ. III. Reptils; Claſſ. IV. Fish. 1. Alph. tab. aen. 17. London printed for B. White 1768 et 1769.

i. e.

Zoologia Britannica. Vol. I et II. continens claſſes quadrupedum et auium, cum diſputatione de auium migratione appendicis loco addita. Vol. III. reptilia et piſces.

Cum maior ſplendidiſſimaque huius libri editio, in qua omnia animalia, quae in Anglia occurrunt, aeri inciſa et viuis coloribus picta ſunt, nondum ad manus noſtras peruenerit *); de epitome interim huius operis ad Lectores referre conſtituimus. Continentur vero in ea non ſolum deſcriptiones, quibus maioris editionis figurae illuſtrantur, ſed et triginta quinque tabulae aeneae huic editioni adiectae, nonnulla animalia rariora aut in maiore editione omiſſa exhibent.

Maioris editionis curam nonnulli ex Angliae nobilibus in ſe ſuſceperunt, eo conſilio, vt quaeſtus e venditione huius libri factus, in beneficium ſcholarum nonnullarum Walliae, in quibus pueri gratis inſtituuntur, impenderetur. Auctorem autem harum explicationum, epitomesque, de qua hic agimus, Cl. THOMAM PENNANT eſſe, qui ex nobilibus

*) Continet tabulas CXXXII, ex quo numero et cum tabulae maioris operis in hac epitome tantum in quadrupedum et piſcium claſſibus citatae ſint, coniicimus, reptilia et piſces in maiore editione non reperiri.

libus Walliae eſt, ex dedicatione et praefatione cognoſcimus. Ita vero in hac re verſatur Cl. Auctor, vt ſingulorum animalium deſcriptioni praemittat genericum et ſpecificum eorum nomen, ſynonymaque ex optimis Auctoribus collecta, addatque ea, quae circa eorum vſum oeconomicum atque hiſtoriam naturalem, mores, cet. notanda veniunt. Inprimis magnum adhibuit ſtudium in explicatione locorum, veterum hiſtoriae naturalis ſcriptorum graecorum latinorumque, in quibus animalium, hic deſcriptorum, mentio fit; quod conſilium eo maiore laude dignum nobis viſum eſt, quo denſiore caligine tota haec doctrina adhuc tegitur, cum plurimi criticorum, qui Auctores iſtos explicarunt, parum de hiſtoria naturali cognouerint. Dolemus tamen, Auctori Cl. in ſynonymis conquirendis FRISCHII de auibus opus Germanica lingua conſcriptum, ad manus non peruenisſe, cum ex PENNANTI obſervationibus ea inprimis, quae in Friſchiano opere adhuc obſcura ſunt, in aquatilium auium praecipue hiſtoria, illuſtrari, atque viciſſim PENNANTI operis praeſtantia ex Friſchiano augeri potuiſſet. Quod inprimis de nominibus Germanicis valet, quae in PENNANTI libro eodem modo, vt in BRISSONII ornithologia factum eſt, maxime corrupta ſunt.

Iam ex titulo patet, deſiderari in hac zoologia duas adhuc animalium claſſes, vermes ſcilicet et inſecta, neque vllus ſuſpicioni datur locus, Cl. Auctorem et harum duarum claſſium editionem moliri. Quadrupeda et aues ſecundum RAII ſyſtema et BRISSONII, piſces vero ſecundum LINNAEI ordinauit; cetacea tamen et amphibia nantia piſcibus addita ſunt. Cum vero inſtituti noſtri ratio non permittat, vt omnia animalia, hic deſcripta, enarremus; ſufficiat, ea tantum indicaſſe, quae in Linnaeano ſyſtemate, tanquam claſſico totius zoologiae libro ad-

hue deſiderantur, et eas adduxiſſe obſeruationes, quae prae reliquis notatu dignae nobis viſae ſunt.

T.I.p.3. p. 78. Nonnulli equi in Anglia tanto robore pollent, vt pondus 900 – 1000 librarum portare poſſint. *Muſtela putorius* et *muſtela furo* coitu miſcentur, hybridaque inde ſpecies naſcitur, quae *muſtela furone* ferocior eſt, quod etiam in ſupplementis voluminis ſecundi magis confirmatur. Hybrida haec ſpecies forte illud animal eſt, cuius figuram Cl. BUFFON, qui tamen haec duo animalia inter ſe miſceri negavit, *Furet-Putois* vocauit *). Recte monet Noſter Ill. LINNAEUM *muſtelam vulgarem* (eſt *muſtela ſupra rutila infra alba* BRISSONII, quam Germani *Wieſel* vocant) cum *muſtela erminea* confundere, eundemque *muſtelam vulgarem*, quando hyemali tempore alba facta eſt, nomine *muſtelae niualis* deſcribere. Differunt vero *muſtela erminea* et *vulgaris* in eo, quod *erminea* duplo maior ſit, atque longiorem et craſſiorem, magisque piloſam caudam habeat, quae in apice nigra eſt; cum *vulgaris* ſpecies vix vnum alterumque pilum nigrum oſtendat. Vtraque ſpecies hyemali tempore alba fit. In *muſtela vulgari* ſummitates aurium et extremitates digitorum colorem ex albo flaueſcentem habent. *Erminea* in campis et ſyluis habitat, rariusque aedificia intrat, in quibus *vulgaris* frequenter occurrit. Speciebus *muris* generis a LINNAEO deſcriptis, additur *mus Noruegicus* (*Surmulot* BUFFONII **), qui tamen in Scandinauia non occurrit. Monet quoque hac occaſione Noſter, *murem rattum* non, vt LINNAEUS aſſerit, ex America in Europam, ſed ex Europa in Americam translatum eſſe.

T. II. p. 498. p. 99.

Ex

*) Vid. BUFFON Hiſt. natur. Vol VII. p. 225.

**) Vid. Hiſt. nat. Vol. VIII. p. 206. vid. Com. noſtr. Vol. X. p. 306.

Ex auium historia notamus *vulturis* speciem, quam LINNAEUS *albiullam* vocat, licet rostrum magis rectum sit, quam in reliquis falconibus, tamen cum caput et collum pennis tegantur, ad *falcones* EIUSDEM pertinere. Adduntur quoque plures falconum species, vt 1) *falco gyrfalco* (*gerfault* BRISS.) qui a *gyrfalcone* LINN. differt; 2) *falco peregrinus*; 3) *falco griseus* cuius speciei mas est *le faucon à collier* BRISS. et foemina *le lanier cendré* EIUSD. et 4) *s'ermillon* BRISS. Noua quoque species *strix auriculis breuibus* esse videtur. Reliquae auium species, quae in systemate Linnaeano non occurrunt et in hoc volumine describuntur, sunt: *la pie grieche rousse* BRISS. *bonasa scotica* EIUSD. et *columba turtur* (*la tourterelle* BRISS.)

p. 131. p. 136. p. 137. p. 147. p. 156. p. 164. p. 204. p. 222.

Secundo volumine auium enumeratio continuatur, ex qua sequentes species notamus: 1) *Alauda campestris minor*, quae digitum posticum breuem habet; 2) *alauda rubra* EDWARDI; 3) *alauda cristata minor* BRISS.; 4) *alauda salicaria*; 5) *rubetra Anglicana* BRISS.; 6) *motacilla flaua* EIUSD. quae a *motacilla flaua* LINNAEI differt; 7) *linaria* siue *fringilla cannabina maior*; 8) *linaria montana*; 9) *emberiza niualis minor*; 10) *scolopax Lapponica minor*: *limosa* BRISS.; 11) *le chevalier rouge* EIUSD. 12) *tringa cinerea* BRÜNNICH. ornith.; 13) *tringa macularia maculis nigris*; 14) *colymbus minor* BRISS.; 15) *vria minor*, quae ad *colymbum troile* LINN. accedit; 16) *colymbus caudatus stellatus*: *plongeon à gorge rouge*, *à gorge noire*; 17) *cataracta cepphus*, BRÜNNICH.; 18) *gauia hyberna* BRISS.; 19) *anas clypeata pectore rufo*; 20) *anas rufa rostro pedibusque cinereis*, Faun. Suecic.; 21) *anas capite griseo*: *glaucion* vel *morillon* ALDROV. Accurato examine instituto, Cl. Auctor cognouit, in *loxia curuirostra* mandibulam superiorem non mobilem esse.

p. 238. p. 239. p. 241. p. 243. p. 277. p. 311. p. 315. p. 323. p. 355. p. 357. p. 367. p. 369. p. 397. p. 411. p. 414. p. 419. p. 423. p. 467. p. 471.

Auis

p. 280. *Auis arctica* ab EDWARDO depicta, a *laro cataractae*,
p. 418. ad quem Ill. LINNAEUS EDWARDI figuram retulit, differt. In fine huius voluminis anne-
p. 505. xa est breuis de migratione auium Britannicarum dissertatio, qua eae, quae in Britannia nidificant, vel hyberno tantum tempore accedunt, aut discedunt, indicantur. In figuris, quae ad haec duo priora volumina pertinent, delineantur: 1) *lupus*, 2 a) *castor fiber*, 2 b) in tabula aenea delineantur auium characteres, 3) *vultur albiulla*, 4) *falco gyrfalco* BRISSONII, 5) *falco palumbarius*, 6) *ardea cinerea*, 7) *ardea alba*, 8) *scolopax arquata*, 9) *rallus aquaticus*, 10) *rallus crex*, 11) *cataractae tipphia* BRÜNNICHII, 12) *coracias garrula*, 13) *corvus caryocatactes*, 14) *turdus roseus*, 15) *ardea grus*, 16) *ardea garzetta*, 17) *ardea minuta*.

In volumine tertio reptilia et pisces continentur. Reptilium classis amphibia reptilia et serpentia LINNAEI tantum continet, nantes enim ad
T. III. pisces cum cetaceorum ordine ex quadrupedibus re-
p. 18. feruntur. *Vipera Anglica nigricans* RETIVERII seu
coluber prester LINNAEI est varietas tantum vul-
p. 43. garis speciei, quam LINN. *colubrem berus* vocat. Describitur quoque hic *balaenae* species, capite rostrato, (beak-headed whale) dentibus nullis, fistula in vertice, apertura semilunari; aliaque noua, vt videtur,
p. 44. *physeteris* species, capite maxime obtuso (*blunt headed cachelot*) dorso impinni gibberoso, fistula in rostro.
p. 61. *Petromyzon branchialis* non branchiis piscium adhaeret, sed in luto et fundo fluuiorum habitat. In
p. 63. *raia batis* numerus ordinum aculeorum in cauda va-
p. 72. riat. Spinas *raiae pastinacae* et *tetrodontis limati* venenatas esse negatur. *Squali* species indicatur, quae
p. 78. *the basking shark* hic vocatur et *squalus maximus* LINN. esse videtur, cum piscatores ad maiorem pinnam analem non attendisse verosimile sit. *Vulpes*
p. 86. *marina*

marina (the ſea-fox) hic deſcripta eſt *chimaera monſtroſa* LINN., cuius ſynonymum Auctor omiſit.
Squalus ſtellaris LINN. ex Cl. PENNANT mente mera tantum varietas eſt *ſquali caniculae*. Additur quoque noua ſquali ſpecies a Cl. BORLASE hiſtoriae naturali Cornubiae inſerta, quae *the porbeagle* dicitur, nec non alia *lophii piſcatorii* ex eodem Auctore. *Syngnathum acum* et *ſyngnathum typhlen* Cl. Auctor coniungit, *ſyngnathum ophidion* vero peculiarem ſpeciem eſſe contra GRONOVIUM defendit.
Muraenae anguillae et *muraenae congri* differentia, non conſiſtit in roſtro tentaculis duobus ornato, quae in *congro* reperiri varii Auctores ſcribunt, haec enim tentacula in vtraque ſpecie adſunt vel deſunt; ſed, vt alia taceamus, in linea laterali ex punctis albida potiſſimum quaerenda eſt. *Leptocephalus* GRONOVII, quem Auctor Noſter in honorem amici ſui, qui hunc piſcem detexit, *the Morris* vocat, fuſius hic deſcribitur. *Blennius phycis* LINN. ad *gados* ob formae maiorem cum his ſimilitudinem reducitur. *Gadus muſtela maculata* RONDELETII (the ſpotted whiſtle fiſh) a *gado muſtela* LINN. qui brunum colorem habet (the brown whiſtle fiſh), diſtinguitur.
Pleuronectes paſſer LINN. cum in omnibus cum *pleuronecte fleſo* conueniat, niſi quod oculos in ſiniſtro latere habeat, tantum vt varietas eiusdem conſideratur. Alius quoque huius generis piſcis deſcribitur, cuius RAIUS in ſupplementis mentionem ſub nomine *rhombi laeuis Cornubienſis maculis nigris* fecit.
Piſcis pulcherrimus et rariſſime tantum in mari Britannico reperiundus, qui *opah* hic vocatur ad *chaetodontes* LINN. pertinet. Numerus radiorum in membrana branchioſtega piſcium, qui ad *labri* genus pertinent, variat, cum v. c. *labrus tinca* quatuor, aliae vero ſpecies quinque habeant, idemque de radiorum numero in pinnis valet. Adduntur quoque aliae no-

p. 89.
p. 92.
p. 95.
p. 108.
p. 116.
p. 125.
p. 158.
p. 164.
p. 188.
p. 189.
p. 201.
p. 202.
p. 204

vae

vae *labri* ſpecies: *trimaculatus* ſcilicet, *lineatus* (ſtriped); aliaeque tres ſpecies, quas *goldfinny*, *comber* et *cook*
p. 253. in Cornubia vocant. *Salmonis* ſpeciem, quam *ſalmulum* RAIUS dicit, non iuniorem ſalmonem vulgarem ſiſtere, ſed ſpeciem plane ab his diuerſam, pluribus
p. 293. argumentis oſtendit. Ea *clupeae* ſpecies, quae Anglis *pilchard* audit et quae ad nullam LINNAEI ſpeciem referri poteſt, pluribus a *clupea harengo* differt. Corpus minus compreſſum et magis craſſum atque rotundum eſt in priore, maxilla ſuperior reſima, inferior breuior, dorſum magis eleuatum, pinnaque dorſalis capite propior, quam in clupea harengo, qui piſcis in vniuerſum magnitudine priorem ſpeciem ſuperat.

p. 321. In appendice varia narrantur notatu digna circa bufonem quendam, qui per plures (ad 40 et vltra) annos a familia quadam nutritus, adeo manſuetus factus eſt, vt ſe manibus prehendi, nutriri,
p. 333. varioque modo tractari lubenter permitteret. Alia obſeruatio pertinet ad vſum, quem bufones viui vlceri cancroſo applicati, praebent, qua de re plura profecto experimenta inſtituenda eſſent. Narratur enim ex literis Cl. PITFIELD bufones, ſi vlceri cancroſo admoueantur, ſtatim ſugendo auide eidem per aliquot nonnunquam horas adhaerere, vſque dum mortui aut ſemimortui decidant. Sub ipſa ſuctione palleſcunt et vehementer intumeſcunt, ita, vt pondus a drachma vna ad vnciam vnam auctum Cl. Auctor obſeruauerit. Haec ſuctio inſigne leuamen aegris, cancro laborantibus, attulit, exſtantque relationes, nonnunquam perfectam curationem hoc remedio factam fuiſſe. Monet tamen Cl. PITFIELD illud, ſi omnis humorum maſſa iam cancri veneno
p. 340. affecta ſit, nullum vſum praeſtare. *Labri* quoque ſpecies in appendice deſcribitur, quam *wraſſe* Angli vocant. Haec radios in membrana branchioſtega oſten-

oſtendit quatuor: in pinna dorſali $\frac{20}{31}$ vltimo duplici, in pectorali $\frac{1}{8}$, anali 12, ex quibus 3 priores ſpinoſi, reliqui diuiſi ſunt. Cauda rotundata eſt. Color corporis flauus eſt, maculis aurantiis diſtinctus.

In tabulis aeneis ſequentia animalia delineantur: 1) Lacerta agilis et vulgaris; 1*) balaena capite roſtrato, ſqualus ſpinax, muraena conger, gadus aeglefinus, cottus ſcorpius et cyprinus phoxinus; 2) phyſeter capite obtuſo; 3) dentes variorum piſcium cetaceorum; 4) chimaera monſtroſa; 5) lophius piſcatorius; 6) ſyngnathus barbarus, ſeu acus et ſyngnathus ophidion; 7) anarrhichas lupus; 8) leptocephalus GRONOVII ſiue *the Morris* Auctoris et ammodytes tobianus; 9) gadus luſcus et minutus; 10) blennius viuiparus, blennius gunnellus et gobius aphya; 11) cottus cataphractus et cottus gobio; 12) labri ſpecies quam *ballan* Auctor vocat; 13) mullus barbatus; 14) trigla lyra; 15) ſalmo alpinus; 16) ſalmo lauaretus; 17) clupea harengus et illa clupeae ſpecies, quae Anglis *pilchard* audit.

III.

CAROLI STRACK, Med. Doct. et in Vniuerſit. Moguntin. inſtitut. medic. P. P. obſeruationes medicinales de morbo cum petechiis et qua ratione eidem medendum ſit. Carolsruhae ex officina aulica Macklotiana. 1766. 8. pl. 20.

Cum iſte morbus anno 1760 et ſequentibus in vrbe agrisque Moguntinis graſſaretur et per aliquot annos multos raperet aegros, omnem impendit huic morbo medendi operam Cl. STRACK et quadringentas aegrorum, quorum curam habuit, collegit hiſtorias, ex quibus dein hic liber confectus

eſt,

eſt. Deſcribit enim in eo, ex ſolis obſeruationibus, accurate et aſſidue collectis, nato, morbum cum petechiis, epidemice graſſantem, vna cum aliis morbis acceſſoriis, eiusque cauſſis, ſymptomatibus atque ſignis perſecutis et expoſitis nonnullis huius morbi hiſtoriis, petechiarum ſedem ac naturam atque iis medendi rationem veram et falſam, oſtendit.

p. 9. Ac primum quidem quaerit Cl. Auctor: an et quando petechiarum morbus ſit? ardua enim inter medicos orta eſt diſputatio, vtrum per ſe contingant petechiae, an arte e. g. calefacientibus medicamentis et calido regimine, fiant? ſed eſſe petechias vere a natura productas iiſque laboraſſe aegros, quibus omne calidum regimen et medelam denegauerat, probat Noſter exemplis et numerat praecipue hoc morbi genus inter morbos caſtrenſes.

p. 14. Tum notas morbi petechialis perſequitur. Symptomatibus, aliis morbis nec minus communibus et pro varietate aegrorum variantibus, miſſis, alii hebetes bardique ſunt, interdum vrina viridis et ſubnigra eſt atque ſedimentum flauum praecipitat, et ab ipſo morbi principio putridum alui eſt profluvium. A nonnullis, morbo incipiente, dolor acutus iuxta coſtas ſpurias vel infra easdem pleuriticus animaduertitur et aliis leuis in cute eſt aurigo.

p. 16. Ab initio difficilis eſt cognitu hic morbus; nono autem die, quandoque etiam tardius in extrema cute maculae, pulicum aut pediculorum (inde et pediculae appellatae ſunt a nonnullis) morſibus, abſque tamen areola, ſimiles apparent. Saepe ſeptimo die, nonnunquam altero die accedunt, interdum ab initio morbi adſunt. Nihilominus autem, ſiue ocyus ſiue ſerius eruperint, mitius ſe habent aegri. Occupant plerumque eas corporis partes, quae mollem tenuemque habent cutim, vt circa collum, mammas, in extremitatibus, ſuperioribus praecipue,

circa

circa muſculum bicipitem, potiſſimum vero a flexura cubiti ad carpum vſque. Atque tum interna carpi pars, nec non reliquae partes corporis ſolent a petechiis eſſe liberae; ſaepenumero autem totum corpus ad caput vſque infra mentum retroque auriculas occupant.

Sunt autem petechiae maculae paruae, rotun- p. 18.
dae, ſeminis papauerini, nonnunquam etiam milii latitudine, diffuſae, circumſcriptae, interdum confluentes, profunde vt ex liuido rubrae, in aliis roſeae, in aliis liuidae, potiſſimum iuxta internam carpi cutim, vbi multae conueniunt venae, ſplendentes, quaſi vitreae: Cineraceas, quas quidam volunt, non vidit Noſter. Citius et tardius euaneſcunt; viginti duos enim imo quadraginta dies interdum petechias adfuiſſe notauit, interdum reuerſae ſunt et poſt annum. Alias mala et grauia, alias bona et leuia concomitantur ſymptomata. Vidit enim Noſter petechias ſine febre, nec vlla corporis infirmitate. Nec minus autem febrim, ante eruptionem petechiarum praeſentem, mitigari poſt earum eruptionem, imo, niſi praepeditur febris, intendi, (quare et illud exanthema Noſtro non criticum videtur), et aegros ſphaceloſos exſtingui, petechiis cutem adhuc occupantibus, obſeruauit.

Commemoratis eorum ſignis, qui moriuntur et p. 25.
qui ſanitati reſtituuntur, explicat Noſter nomina quaedam, quae impoſuit diuerſis petechiarum ſupra nominatis ſpeciebus, et *circumſcriptas* eas appellat, quae aequaliter rotundae ſunt, nec limbo excedunt, ſed circulo quaſi ſunt circumdatae. Atque haec ſpecies maxime eſt communis. Aliam nominauit *diffuſas*, quae neque rotundas, neque aequales habent maculas, ſed hinc inde ſparſas. Hae circumſcriptis ſunt peiores, partim quoniam in ſe ſunt exitioſiores, partim quoniam medicum non valde at-

tantum fallunt. Sunt enim pallidiores ideoque non adeo distincte a medico possunt animaduerti. Solet porro in istis diffusis largum ex naribus sanguinis tenuissimi profluuium promanare, id quod certissimum mortis est signum et summam humorum prodit resolutionem. Quo facto, monet Cl. Auctor, et multos eodem tempore, quo petechiae grassabantur, simili modo absque petechiis aegrotasse, quos eodem modo, vti infra monstrabitur, tractari oportet, vt petechiae praecaueantur. Hi morbi autem intercurrentes appellantur. Tandem cum SYDENHAMO, morborum epidemicorum miasma tempore et saepe eundo mitescere rato, et hoc in petechiis animaduertit.

p. 31. His consideratis, proponuntur a Nostro variarum curationum experimenta. Vsus enim est methodo antiphlogistica et refrigerantibus cum regimine iusto et venaesectione; nihilominus autem petechiae prouenere sine vllo leuamine aegri et symptomatum cessatione. Aliis camphoram et diaphoretica aliaque exhibuit sine fructu. Tum constituit, primas vias aggredi et dedit laxantia aeque ac purgantia, diagrydium e. g. et ialappam, interposito decocto refrigerante, multo cum fructu. Quibus enim exhibitis, magna putridarum fecum copia sursim est eiecta et symptomata partim mitigabantur, partim penitus cessabant, et petechiae vel plane non, vel parum apparebant. Quare omnes aegros deni, neque febris, neque delirii, neque surditatis, neque soporis, nec vlla temporis habita ratione, medicamentis purgantibus curauit. Commemorat ideo obseruationes, ex quibus patet, hanc medendi methodum semper ex voto successisse. Inter quas hoc vnicum tantum notemus, chronicae scabiei superuenisse petechias, ita vt scabies remaneret.

His

His obſeruationibus praemiſſis, diſquirit Cl. Au- p. 69.
ctor, quae cauſſa petechiarum et qua ratione ipſi morbo ſit medendum? et affirmat, petechias neque excitari poſſe calido regimine et omnino minus apta curatione, neque criticas eſſe, ſed per ſe exiſtere et ſolummodo pendere a putrida vitiatorum ciborum ſiue vermium aut viuorum aut mortuorum, ſeu alius colluuiei corruptae collectione, in infimo ventre confluente et latente. Quam ob cauſſam pauperiores ob boni cibi defectum plerumque in hunc morbum cadunt, et quamquam hic morbus epidemice graſſabatur inter milites, quibus valde communis eſt ideoque a Noſtro militaris dicitur, tamen infimos milites magis eodem affectos eſſe, quam ſuperiores, Cl. STRACK obſeruauit. Quae omnia, etiamſi iam ex ſuperioribus declarantur, denuo obſeruationibus illuſtrat, ex quibus, data emetica, laxante purganteque medicina, et interdum enematibus, multam putridam humorum copiam, per os et anum eiectam, et vrinam, iumentorum ad inſtar, miſſam, nec non in aliis ſudorem largum acidum erupiſſe et aegros ita ſeruatos eſſe elucet. Ac eos, qui dyſenteriam ante habuerant, petechiis non laboraſſe animaduertit. Ex his itaque concludit, petechias nunquam criticas eſſe, ſed ſignum multae impuritatis in infimo ventre, easque non prius fieri, ac ſi earum miasma cum putrida colluuie, in imo ventre latente, coiuit, nec aliter iis eſſe medendum, quam ventre ab iſtis inquinationibus liberato.

In qua corporis parte petechiarum miasma reſi- p. 112.
deat? diſquirit Cl. Auctor, quaerens: cur petechiae aegrorum cutem occupent? vtrum earum miasma ipſum ſanguinem intret eundemque vitiet, an vero illud in infimo ventre decumbat, maneatque, vel ex eo loco in caeteras corporis partes tranſeat? atque reſpondit: apparere in cute potiſſimum pete-

chias, quoniam miasma petechiale cum corrupta illa materia, imum ventrem petente, coiuit, minime vero, quoniam miasma communicatum eſt cum ipſo ſanguine. Id quod multis argumentis confirmat Cl. STRACK, ex quibus quatuor tantummodo commemoremus. Ac primum quidem, cum petechiae, purgato ventre, euaneſcant, dein, qui puritati infimi ventris conſulunt, ſuſcepto miasmate, petechiis non laborent, porro cum multi eodem morbo absque petechiis ſint affecti, ac tandem cum ipſa febris, petechiis vel euaneſcentibus, diu continuet propter relictas adhuc ventris impuritates. Quae omnia denuo illuſtrat obſeruationibus; ex quibus et hoc patet, quod ſupra Cl. Auctor dixit, petechias interdum ſine febre adeſſe, nec pendere illas ab aeſtu febris, nec raro plane abeſſe.

p. 133. Ex qua corporis parte febris ordiatur? incalescente impura infimi ventris colluuie per ſe, eaque cum petechiarum miaſmate ſeſe communicante, vicinae partes circum accenduntur, atque tum febris, quae continuo exardeſcit, nec remittit, excitatur. Potiſſimum autem eam materiam ineſſe inteſtinis patet ex eo, quod emetica non tam putrida, quam laxantia expellunt, et ii, qui ex naturae beneficio ſanantur, non vomitu, ſed alui profluuio conualeſcunt, quoniam eorum vrina turbida, iumentorum ad inſtar, eſt, eaque ſemper ſignum certum materiae putridae in inteſtinis eſt; quoniam aegris abdomen dolet ac tumet indeque laborioſe ſpirant et anguntur, et quoniam tandem omnes, qui pereunt, inteſtinorum habent ſphacelum, etiamſi alia viſcera, antea iam labefactata, ab eo quoque non libera ſunt, nec immunia a muci collectione, qui ſaepe, fibrarum integritate viſceribus interioribus reſtituta, excutitur, atque in inteſtina, vt commune aliquod receptaculum, dimittitur, et ex iis depellitur.

Atque

Atque in viſceribus muco tenaci repletis, dum explicat ſymptomata, videtur Noſtro cauſſa poſita eſſe, cur interdum diu duret febris et tardius progrediatur morbus. Oculorum rubor, ſopor et ſurditas ſunt bona ſigna. Sudor, ſiue ab initio morbi, ſiue cum febre, ſiue, finita febre, erumpat, non criticus eſt, ſed oritur ex repletione nimia ac impura infimi ventris. Tuſſis cum expectoratione muci, pleuriticorum inſtar, proficiſcitur a muco, ex inteſtinis in ſanguinem conuerſo, perinde ac infantes, quorum venter muco et vermibus eſt impletus, ſine febre tuſſiunt. Articulorum dolor in pedibus, potiſſimum circum malleolos et in talo, ſaepe ad manus, interdum in humero cubitoque iis eſt communis, quorum morbus diu durat et difficilis eſt, vel ex ventris impuritate, vel ex conuerſione eiusdem materiei ad eos artus. Finita febre, miteſcit quidem, non autem deſinit, quin quadraginta dies adhuc poſt remanſit, donec omnia erant purgata infimi ventris viſcera, ac ii, quorum morbus reuertitur, diaeta neglecta, iterum experiebantur hos dolores, ſi antea adfuerant. Horum ſymptomatum explicationem nunc Noſter obſeruationibus illuſtrat, ex quibus, dato purgante eoque repetito, haec ſymptomata ſeſe leuaſſe, ac inprimis articulorum dolores, nec vllo alio ſiue externo, ſiue interno remedio, quibus Cl. Auctor multis vſus eſt, ceſſaſſe elucet. p. 141.

Curatione itaque petechiarum praemiſſa, Cl. Auctor agit de vitiis, quae petechiarum morbo ſaepe vel ſuperueniunt, vel ab eodem ſuperſunt. Superveniunt enim petechiis aliae corporis morboſae mutationes, quarum potiſſimum tres ſunt: febris nimirum intermittens, hydrops et in externo corpore abſceſſus. Obſeruauit enim Cl. Auctor, partim in ipſo petechiarum morbo, ardore febris quodammodo remittente, nouas febriles acceſſiones quotidianas p. 184.

ſiue tertianas, ſuperato petechiali morbo, iterum euaneſcentes, partim petechiis deſquamatis. Hae febres iis plerumque accidebant, qui nimium inprimis carnium et durorum ciborum, vt caſeum et lactucam, braſſicam, comedebant indeque infimi ventris impuritates iterum colligebant, nec quidquam praeter laxantia remedia iuuabat. Hydropem purgantibus in principio non diſcuti, ſed, ſubductis omnibus impuris per purgantia, largum vrinae ſequi profluuium, quo ſuperflua aqua ex corpore expellitur, Cl. Auctor refert. Quod tandem abſceſſus attinet, quos multi, vt criticos, intuentur, ad parotides, porro bubones, furunculos et exulcerationes iuxta articulos, nihil in hoc morbo iuuant ideoque pro criticis haberi nequeunt. Oriuntur enim, finito morbo, et ſunt indicium relictae adhuc in infimo ventre materiei putridae. Id quod patet ex eo, quod ii, quorum venter ſatis eſt depuratus, nullos habent abſceſſus, nec vllo alio modo ipſi abſceſſus, quam laxante medicina, ſanari poſſunt.

p. 216. Quo facto, diuerſa curationum genera examinat, quibus diuerſi vtuntur Auctores, et quae potiſſimum his tribus continentur: refrigerantibus nimirum, aromaticis remediis et cortice Peruuiano. Ad refrigerantia ſimul cum venaeſectione et enematibus refrigerantibus, ex ſero lactis cum nitro et melle compoſitis, acida mineralia et vegetabilia refert Noſter. Alii dant camphoram, ſal ammoniacum eiusque ſpiritum, theriacam, radicem ſerpentariae Virginianae, nec non veſicatoria applicant, hisque omnibus ſudorem excitare tentant. Sed omnia hic poſſe adhiberi et a ſe ipſo eſſe aegris, ſi neceſſitas poſtulauit, propinata, largitur quidem, purgatis tamen antea, iteratis vicibus, primis viis. Alias, praeſertim ab iſtis aromaticis, febris et viſcerum gangraena, quae ſponte his in morbis oritur, facilius ac citius

tius excitatur. Quapropter omnia haec ab initio reiicit, quoniam petechiae nunquam pro criticis habet, nec earum cauſſam in ſanguine, ſed in imo ventre Noſter quaerit. Haec, quae ſentit, Cl. Auctor obſeruationibus denuo illuſtrat, ex quibus elucet, ceſſaſſe quidem petechias interdum, his, ſupra nominatis medendi methodis, ſed ventris magnum tumorem remanſiſſe et, nonnullis diebus praeterlapſis, aegros iterum male ſeſe habuiſſe, petechiasque rurſus apparuiſſe. Dato autem laxante eoque repetito, curatio felicior ſucceſſit. Commemorantur quidem a Cl. Auctore obſeruationes, vbi cortice Peruuiano adhibito ſaepeque immiſſis clyſmatibus, aegri ſine laxantibus ſunt ſanati largo alui profluuio. Sed ſanationem hanc eatenus tantum tribuit cortici, quatenus diarrhoeam, a natura excitatam, ſimul cum clyſteribus adiuuit. Omninò autem ſuperuacaneus videtur Cl. Auctori corticis vſus, ſi petechiae ſunt circumſcriptae et impura colluuies ſolis in inteſtinis reſidet. Quod ſi vero diffuſae ſunt, cumque iis mucus tenax in infimi ventris viſceribus haeret, et morbus diu durabat, aut ſi materiei impuritas vnam tantum alicuius inteſtini partem occupat, ob metum gangraenae cortex ſimul in auxilium eſt vocandus, ſed, victa gangraena, iterum ad purgantia eſt confugiendum.

Si petechiae cum alio quodam morbo conueni- p. 247
unt, quomodo ſit ſuccurendum? poſſunt petechiae, alio morbo iam praeſente, in cute ſeſe monſtrare, febre nimirum intermittente, variolis, dyſenteria, potiſſimum iis morbis, qui epidemice tum homines invadunt. Quemadmodum enim diuerſa morborum miaſmata in eodem aëre ſimul eſſe, ſic et varii morbi in vno eodemque corpore vno eodemque tempore oboriri poſſunt. Ita aeſtate anni 1761. petechias, morbillos, variolas, febres ſcarlatinas, purpuram,

dyſenterias et febres intermittentes, populares eſſe. Noſter obſeruauit. Supra iam annotauimus, intermittentem, petechiis praeſentibus, poſſe interdum excitari, hic vero Cl. Auctor exempla commemorat, vbi petechiae ad aegros, febre intermittente laborantes, accedebant. Tum purgantia ſunt danda, donec petechiae, vt ſignum putridae materiei in imo ventre, ceſſant, dein febris aut reliquorum morborum, ſupra dictorum, quibuscum petechiae ſimul apparent, niſi per ſe deſinunt, ratio eſt habenda. In paroxyſmo febris intermittentis, Noſter animadvertit, petechias nec rubras, nec plures fuiſſe, quam intermiſſionum tempore, ex quo id, quod ſupra affirmauit, denuo demonſtrat, petechias non fieri a calore. Porro notandum eſt, aegros variolis et petechiis ſimul affectis, non peius ſeſe habuiſſe, quam qui ſimilibus variolis abſque petechiis laborarunt, nec quidquam remanſiſſe.

p. 276. Finit Cl. Auctor hunc tractatum cum morbis huc vſque intercurrentibus, hoc eſt, iis, quibus inter petechiarum morbum, cum is popularis erat, homines afficiebantur. Quorum duo potiſſimum addidit Noſter genera, vnum quod ſine petechiis quidem erat, omnia tamen petechiarum ſymptomata et notas habebat; alterum, quod aliqua ſolummodo petechiarum indicia prae ſe ferebat, plurima vero diuerſa, potiſſimum cum pleuritidis ſignis communia, complectebatur. De illo egit iam Cl. Auctor in praecedentibus et nos quoque pauca ſupra decerpſimus, de hoc autem iam dicit Noſter, ex quo nunc quaedam ſeligemus. Anno 1762 enim exeunte atque anno 1763 incipiente, pace reſtituta, cum reuerterentur milites multique horum terras Moguntinas peterent, ibique aliquamdiu commorarentur, rurſus petechiarum morbus, qui, antecedente aeſtate ac autumno, deſierat, iterum graſſari incipiebat.

Erat

Erat enim antecedentibus menſibus ab auguſto ad nouembrem tempeſtas pluuioſa ac perhumida cum denſis ſaepe nebulis; quibus, emollitis et relaxatis corporibus, ea multum muci collegerunt, qui tandem in putredinem abiit atque vagum morbi miasma recepit. Multi itaque aegri, praeter eos, qui cum et ſine petechiis decumbebant, eodem tempore pleuritide laborabant, quam a ſimili cauſſa, a qua ipſe petechiarum morbus prouenit, ortam cum videret, eadem ratione curari oportere, qua petechiae, Cl. Auctor apud animum conſtituit. Nam, inſtituta et reiterata venaeſectione, impoſitis fomentis emollientibus veſicatoriisque applicatis, nec minus datis iulapiis refrigerantibus et decoctis emollientibus cum nitro et oxymelle ſcillitico, quae alias pleuriticos iuuant, nihil effecit Cl. Auctor, ſed delirio quinto die accedente, gangraena aegros trucidavit. Incipiebat in his aegris frigus cum acuto lateris vnius vel alterius dolore, cum reſpiratione denſa et tuſſi ſicca, interdum excretione muci tenacis et rufae pituitae, quod excipiebat calorem, qui, continuantibus recenſitis ſymptomatibus, vno tenore exarſit. Inter ſigna, huic pleuritidis ſpeciei praecipue communia, refert Noſter, ardente febre, vrinam flauam aut, inclinata febre, rubram ſeu iumentorum ad inſtar, ſputum non coctum, ſed tenax rufum vel rubrum, alui profluuium putridum vel per ſe ortum vel, inditis enematibus, excitatum, maiorem laſſitudinem, quam alias in pleuritide, liuidum quarto die circa oculos limbum, mittimus alia. Haec ſunt, quae STRACKIUS habet de petechiis, quas primo FRACASTORIUM, cum annis 1505 et 1528. p. 305. in Italia populares fuerant, tradidiſſe dicit. Diu iam ante autem eae in caeteris regionibus, vt Cypro et vicinis inſulis graſſatae ſunt. Atque, quoniam HIPPOCRATES, qui et minimorum mor-

borum obſeruationes collegit, illum morbum non habet, eum non fuiſſe antiquiſſimis olim temporibus, nec opus eſſe controuerſia cum iis, qui iſtas aſpretudines, morſibus culicum ſimiles, ab HIPPOCRATE in ſuis de morbis popularibus atque coacarum praenotionum libris deſcriptas et a petechiis adeo diuerſas, pro petechiis habent, arbitratur.

IV.

ALBERTI V. HALLER operum anatomici argumenti minorum tomus tertius. Accedunt opuſcula pathologica aucta et recenſa. Lauſannae ſumptibus Fr. Graſſet et ſociorum. 1768. 4. Alph. 2. pl. 3. tab. aen. 17.

Opuſculorum anatomicorum Illuſtriſſimi Auctoris pars vltima ſequentia habet ſcripta *).

p. 1. XXXIV. *De monſtris* libri duo. Quas inde ab anno 1735 quo primum ediderat *anatomen fetus bicipitis ad pectora connati* **) pluribus minoribus ſcriptis, opuſculis anatomicis ***) et pathologicis ****) inſertis, monſtrorum variorum deſcriptiones dedit, eas nunc omnes Ill. Auctor duobus his libris complecti voluit, additis tamen obſeruationibus ex aliis Auctoribus, multo labore collectis. Redegit eas cum ſuis in ſyſtematicum ordinem, pluribusque meditationibus auxit, atque hoc opere ſententiam, prioribus ſcri-

*) De ſecundo horum opuſculorum volumine vide Comment. noſtr. Vol. XV. p. 527.

**) In *tempe Helueticis* 1735.

***) v. c. libellus *de fetu bicipite*, auctus et emendatus; *duorum monſtrorum anatome; de fele capite ſemiduplici; de fetu cranii experte; ad* LEMERY *de monſtris obiectiones reſponſio.*

****) *De fabricis monſtroſis; de renibus coaleſcentibus et monſtroſis; de pullo tripede.*

ſcriptis de origine monſtrorum propoſitam, plurima ſcilicet eorum, quae in eiusmodi corporibus a fabrica conſueta recedunt, non per accidens nata, ſed iam in germine ita, qualia in lucem eduntur, delineata fuiſſe, egregiis atque praecipue ex anatomica eorum diſquiſitione ductis argumentis, confirmat. Quem quidem laborem ſibi fatetur plane fuiſſe nouum. Siquidem iſtud opus tractauit eo modo, vt argumenta vtriusque ſententiae abſque opinionis fauore vllo ponderaret, liberumque ſibi faceret, in eam partem tranſire, quam cognoſceret, maiorem ſpeciem veritatis prae ſe ferre. Totam vero hanc diſputationem Ill. Auctor in duos libros diuiſit. Primus phaenomena, tum ex ſuis, tum ex aliorum obſervationibus deſumta, continet, quae ſunt exempla monſtrorum, ſeu fabricae, a conſueta fabrica adeo euidenter aberrantis, vt etiam ignarorum oculos feriat, ex hominibus brutisque, in ſuas claſſes redacta. Enarrantur itaque primum vitia cutanea, in variis fetubus obſeruata; deinde exempla magnitudinis diverſarum partium, praeternaturaliter auctae, vbi etiam de eo vitiorum genere agitur, quod oritur, ſi gelatinoſus humor, in telam ſubcutaneam congeſtus, tumorem format. Porro exempla ſitus partium mutati, partibus extra cauitatem, in qua latebant, erumpentibus, defectus oſſium cranii, alienae fabricae, partium nimiarum vel deficientium, diuiſarum vel connatarum, capitis ſemiduplicis, partium ſuperfluarum, fetuum bicorporeorum, monocephalorum, fetuum aliorum compoſitorum, atque bicipitum variae ſpecies. Addit tandem Ill. Auctor monſtra animalium frigidorum, oua monſtroſa, plantarumque monſtra varia. Noua nobis videtur eſſe figura, quae pullum tripedem ſiſtit, qui ſupernumerarium pedem de vropygio ſuſpenſum habebat.

Secundus

p. 131. Secundus liber physiologica corollaria ex observationibus praemissis continet. Quaestionem de caussis originis monstrorum eo accuratius examinandam esse, Ill. Auctor monet, quo magis per eam generationis negotium in vniuersum illustrari possit. Veterum enim theoria, monstra per accidens formari, si vera est, apparet, speciosum inde argumentum a defensoribus epigeneseos peti posse. Quodsi vero monstra iam a primo generationis momento talia fuerunt, qualia in lucem eduntur, systemati contra euolutionum multum exinde roboris accedere, quique videt. Ita vero in sua, quam anno huius saeculi tricesimo quinto primum defendit, sententia, vlterius declaranda et confirmanda versatur Ill. Auctor, vt primo veterum theoriam recenseat et deinde singulas monstrorum classes examinet atque de singulis definiat, vtrum eae per externam vim, vel morbum ortae sint, an in primis nascituri animalis staminibus iam aliena fabrica adfuerit. Ex caussis itaque accidentalibus ortum duxisse putat cutis vitia, magnitudinem partis auctam, defectum integumentorum, plurima situs mutati exempla, nonnullas fabricas alienas, quae ex vi aliqua externa v. c. pressione ortae sunt, partes porro destructas et diuisas nonnullaque partium, inter se coalitarum, exempla. Ii contra situs ex illius sententia iam in primordiis aliter fabricati fuerunt, quibus viscera ita inuersa sunt, vt in bene formato corpore v. c. eae partes omnes in dextro latere sitae sint, quae alias in sinistro latere reperiuntur. Qua occasione curiosius disquirit, num ex humano receptae fabricae corpore, casu quodam corpus vniuersum ita deformari possit, vt cor nunc dextrorsum positum apicem suum habeat, hepar vero in sinistro latere positum sit, e. s. p. Ostendit autem, non solum inuersionis viscerum caussam mechanicam nullam reperiri, sed et talem inuersionem non

non accidere potuiſſe, ſi prius conſueta fabrica iam adfuerit. Porro iam ab initio talia, qualia in lucem eduntur, a conſueta fabrica recedentia, delineata fuerunt ea corpora, in quibus vaſorum adſunt varietates: quae partes inſolitas et ſuperfluas habent, v. c. digitum, vertebram, coſtam, vbi fuſius demonſtratur, eiusmodi partes ſuperfluas, minime alius fetus deſtructi eſſe reliquias, cum parte fetus ſuperſtitis coalitas: androgyni deinde veri: fetus, caput ſemiduplex habentes: multaque exempla fetuum, in quibus partes coalitae reperiuntur et reliquae monſtrorum ſpecies, ſuperius iam indicatae. Tandem reſpondet ad obiectionem metaphyſicam, qua Deum nil imperfectum creaſſe, ideoque monſtra non in primis ſtaminibus iamiam imperfecta eſſe poſſe, autumant. Docet autem, monſtrum dici non poſſe malum phyſicum; eſſe enim fortaſſis aliquam monſtroſae fabricae vtilitatem, cum ea in plerisque certe vitam et animi vſum non impediat, et praeterea quoque ex ea fabrica ſedes animi viaeque circuli ſanguinis aliquo modo illuſtrentur, formaeque infinitae hominum libertatem Creatoris in delineandis archetypis confirment.

XXXV. *Ad Ill.* BUFFONII *de generatione theoriam adnotationes.* p. 174. Diſſertatio haec primum, praefationis loco, ab Ill. Auctore praefixa eſt volumini ſecundo verſionis Germanicae *hiſtoriae naturalis* Ill. BUFFONII *), eaque nunc in latinam linguam translata et aliquantum emendata, recuſa eſt. Notum eſt Ill. BUFFONIUM in libro modo citato ſuam de generatione theoriam ita propoſuiſſe **), vt doceat, eſſe in natura rerum materiam quandam, nutritioni et euolutioni omnium corporum organiſatorum proprie deſtinatam, viuam et actiuam. Conſtare eam

*) Prodiit hoc volumen Hamburgi 1752. 4.

**) *Hiſtoire naturelle* T. II. p. 420.

eam moleculis incorruptibilibus, atque illa in organica entia componi, ſimillima magnis animalibus, vel plantis, in quae recepta ſunt. Animal vero eſſe modulum, in quo materia nutritiua figuram ſuam accipiat ad eorum ſimilitudinem. Haec materia ſubtilior adeſt, quam ad corporis organiſati nutritionem vel euolutionem requiritur, liquoris ſpecie ſeponitur in propria receptacula, teſtes ſcilicet in viribus atque ouaria in feminis, continetque ideo omnes moleculas, corpori animali analogas, omnia adeo, quae requiruntur ad formandum ens minus, ſimile ei, a quo naſcitur. Ex commiſtione vero vtriusque ſeminis in vtero particulae iſtae organicae in verum animalculum, parentum ſimile, ex Ill. BUFFONI hypotheſi tranſeunt. In hac itaque theoria examinanda duplex Ill. HALLERO eſt conſilium. Primo vt in veritatem huius theoriae inquirat, oſtendatque eam non firmo fundamento niti, deinde vt examinet, num in ea theoria aliquid ſit, quod Creatoris iuribus noceat, quod quidem varii Theologi Galliae putarunt. Refellit vero primum hypotheſin ipſam, quae non noua eſt, ſed cum HIPPOCRATIS ſententia convenit, docetque, ſpermaticas particulas mobiles, quas BUFFONIUS non animalcula, ſed particulas organicas eſſe putauit, materiei productricis, vera omnino eſſe animalia, hoſpites putreſcentis humoris ſpermatici. Deinde probat, non poſſe animal minutiſſimum ad modulum maximi fingi, neque in vniuerſum fetus parentibus eſſe ſimiles, cum v. c. ſumma ſit varietas in diuerſis hominibus varietas, parentesque partibus careant, quas fetus habet, paterque vna teſte orbatus aut artu carens, bene formatum filium generet. Deſiderari tandem in Buffoniana hypotheſi cauſſam, quae particulas iſtas organicas ita ordinet, vt perfectum nunc ex iis animal componatur, atque in vniuerſum ſemen femininum nullum dari, cui to-

tam

tam fere ſuam theoriam BUFFONIUS ſuperſtruxit, nec adeſſe in femina, quae nondum concepit, corpora lutea, in quibus ſemen hoc latere idem putauit. Al- p. 187.
tera diſſertationis huius parte oſtenditur ex Buffoniana hypotheſi, nil decedere religioni, quod Sorbonae metus fuit, qua occaſione ex perpetua inter ipſam fabricam et fabricae finem in corpore noſtro analogia vbique Creatorem agnoſci, egregie Ill. Auctor demonſtrat.

XXXVI. *De cerebro auium et piſcium* *). Ill. p. 191.
HALLERUS iam in *elementis phyſiologiae* **) piſcium nonnullorum cerebra ita deſcripſit, vt, omnium deſcriptionibus in vnam coniunctis, compendium tantum eorum, quae vidit, proponat. Has deſcriptiones plenibres nunc et auctas corollariis, collectioni huic inſeruit, additis deſcriptionibus cerebri auium nonnullarum, vt anſeris, anatis ferae, atque alius auis aquaticae, quam tringam eſſe ſuſpicatur. In minoribus auibus cerebrum maximum, in omnibus vero cerebellum cerebro maius eſſe, vidit, cum thalami neruorum opticorum in auibus a cerebro diſtincti et remoti deprehendantur. Maior corticis portio, quam in homine, illeque ferme vbique interior, medulla autem exterior eſt. Ventriculi ſimplices ſunt, non tricornes, corpus calloſum deeſt, et falx durae matris minima deprehenditur. Fornix aliam, quam in homine, fabricam habet; ventriculus vero tertius inter corpora ſtriata latet, cum thalami neruorum opticorum, vti ſuperius indicatum eſt, a reliquo cerebro ſeparati ſint; tubercula tandem quadrigemina et glandula pinealis in auibus deſide-

*) Miſſus eſt hic libellus ad Academiam Batauam d. 19 febr. 1766. in cuius commentariis *Verhandeelingen uytgegeeven door de Holland. Maatschappye* Vol. X. P. I. p. 287 ſeq. etiam nunc inſertus eſt.

**) Elem. Phyſiol. T. IV. p. 591 ſeq.

deſiderantur. Thalami neruorum opticorum non ſolidi ſunt, ſed cauos ſacculos referunt. In cerebello tandem vermis et valuula magna non adſunt, cuius locum eminentia quadrigemina occupat. Ex piſcibus cerebra hic deſcribuntur cyprini carpionis, tincae, coregoni *ferrat* dicti, lucii, troctae lacuſtris, troctae alpinae et troctae, quae *ombre cheualier* vocatur, percae, tandemque muſtelae. Omnes piſces cerebrum paruum, longum et inferius atque ſuperius in duas columnas, ſimiles ſulco, diuiſum atque ex medullari et corticali ſubſtantia compoſitum, habent. Inter ipſa vero piſcium diuerſarum ſpecierum cerebra maxima deprehenditur varietas, cum v. c. in aliis glandula pinealis adſit, aliis autem nulla ſit, in nonnullis ventriculis anterior, a quarto diuiſus, deprehendatur, alii vero illo careant. Omnes tamen piſces medullam habent et corticem atque cerebellum, per ſua crura definitum, cum axi loco arbuſculae; neruos porro olfactorios, in quos cerebrum continuatur, et opticos, glandulam pituitariam, calamum ſcriptorium, commiſſuras cerebri, thalamos, ventriculos et plexum choroideum, in ventriculis latentem; quae omnia adeo cerebro neceſſaria eſſe videntur. Thalami neruorum opticorum, vt in auibus, caui ſunt et a cerebro diſtincti, ſimilique modo in piſcibus corpus calloſum et fornix deſiderantur. Dura mater in omnibus piſcibus cartilagineam fere naturam habet, atque inter eam et piam matrem ſpatium aliquod eſt, oleo aut gelatina, in celluloſam telam effuſa, repletum, quod probat, duram matrem non organon motus cerebri, aut cerebri inuolucrum, ſed cranii perioſteum eſſe. Patet porro ex hac cerebri diuerſorum piſcium diſquiſitione anatomica, non eſſe in cerebro regionem, in qua determinatum aliquod regnum idearum habitet, cum neruus opticus non ſem-

p. 198.

per

per ex thalamis, ſed etiam in diuerſis piſcibus ex variis aliis cerebri partibus oriatur. Licet in piſcibus, vbi nerui optici decuſſantur et alter alteri imponitur, nulla ſit inter eos coniunctio; ſumma tamen vnionis horum neruorum in vniuerſum videtur eſſe neceſſitas, cum etiam in piſcibus proxime cerebrum ingentem tranſuerſam coniunctionem hi duo nerui habeant. Idem fere de ventriculis cerebri, de plexu choroideo, de commiſſuris, de cerebello aliisque partibus valet, quae in omnibus animalium claſſibus reperiuntur. Contra glandula pinealis non adeo neceſſaria eſſe videtur, cum in auibus multisque piſcibus deſit. Summa quoque, quae in diuerſis piſcium vnius generis ſpeciebus in tuberculis, cerebrum conſtituentibus, obſeruatur, varietas probat, officia cerebri eiusmodi varietatibus non mutari. Glandula pituitaria in piſcibus omnibus adeſt, atque ex ea ad cerebrum neruumque olfactorium productio aliqua accedit, quod Ill. HALLERO ſuſpicionem mouet, etiam in aliis animalibus hanc glandulam medullam aliquam cerebro addere.

XXXVII. *Sermo primus: de oculis quadrupedum et auium, ad Academiam Gottingenſem miſſus* anno 1765. Ill. Auctor opportunitate ruris vſus, Rupe per aliquot annos multum in diſquiſitione anatomica oculorum diuerſorum animalium occupatus, compendium eorum, quae in piſcibus vidit, in commentariis Academiae regiae ſcientiarum Pariſinae edidit *). Hoc vero et ſequenti commentario omnia, quae in animalibus varii generis reperit, fuſius nunc enarrat, a quadrupedibus et auibus exorſus. Ex quadrupedibus vero tantum oculos bouinos, ouinos, ibicis, rupicaprae, felis, lupi, catelli nuper partu editi, p. 218.

*) Vid. Memoir. de l'Acad. des ſcienc. année 1762. p. 76. Comment. noſtror. Vol. XV. p. 457. ſeq.

editi, melis, porci, porcelli, leporis et cuniculi diſſe-
cauit, horumque oculorum omnium deſcriptiones
accuratiſſimas et ſubtiliſſimas hic communicat.
Omnium quadrupedum oculi globum fere referunt,
corneaque eorum conuexa eſt, minus quidem, quam
in auibus nocturnis eſſe ſolet, magis tamen, quam in
piſcibus. Nullam, praeter ſcleroticam, retinam et
chorioideam, membranam habent, atque ex his prior
nunquam cartilaginea, oſſea, aut pellucida reperi-
tur. Chorioidea vero duabus laminis componitur,
quae nunquam ſponte a ſe inuicem ſecedunt. Ex
harum laminarum interiore in omnibus, quadrupe-
bus proceſſus ciliaris oritur, duplicatis iugis factus,
quae ope muci nigri ad lentis capſulam agglutinan-
tur. In omnibus iris pene circularis eſt et ab vuea
vix ſeparari poteſt; mobilis praeterea eſt et a maio-
ri luce contrahitur, quae vis contractilis nonnun-
quam etiam poſt mortem iterum a calore excita-
tur*). Striae quoque in omnium retinis reperiun-
tur longitudinales, nullae autem circulares. Sub vuea
et ciliari proceſſu in omnibus, albo cuniculo excepto,
mucus reperitur, qui annulo ciliari inſtratus, coro-
nam figuratam format. Humor aquoſus copioſus
et vitreus magnus eſt, cryſtallinus vero multo mi-
nor et in anteriore ſuperficie fere planus eſt. Eum
vnica arteria adit ex centrali orta, quae vitreum hu-
morem perforat. Retina ex arachnoidea, quae in
nonnullis animalibus vt fele, porco, lepore, filum
habet, et alia pulpoſa membrana componitur. Nerus
opticus in ingreſſu ſemper rotundus et depreſſus
neque a ſcleroticae apertura remotus eſt. Omnia
quadrupeda in retinae interiore ſuperficie rubra ma-
ſa habent, quod iis proprium eſt; atque in omnibus
quoque membrana cribroſa in nerui optici fine po-
ſita, eius medullares faſciculos transmittit. In non-
nullis

*) In fele iuniore vid. Comment. noſtr. l. c. p. 460.

nullis, vt in mele, porco, cuniculo, retina annulo mucoſo ſubiecta et annulo ſtriato impoſita ad lentem cryſtallinam producitur. Solis porro quadrupedibus annulus ciliaris lentem cryſtallinam ambit, inter duas laminas membranae vitreae interceptus. Muſculi oculi fere in omnibus conueniunt, habentque omnes muſculum bulboſum, qui in homine deeſt. Diſcrimina, quae non adeo magna ſunt, omittimus. Adduntur corollaria phyſiologica, ex quibus notamus: hypotheſin MARIOTTI, qui chorioi- p. 234.
deam viſus eſſe organon adſumſit, cui multi Gallici phyſiologi acceſſerunt, ab Ill. Auctore obſeruationibus de interna chorioideae lamina et nigro muco, qui retinam obducit, refelli: corpus ciliare non lenti cryſtallinae innaſci, ſed muco nigro adglutinari, atque eam ob cauſſam non lentem mouere poſſe, ſed illum vna cum tunica vitrea, quae etiam lenti adhaeret, in ſitu ſuo ſeruare: iridemque tandem non a chorioidea oriri; quod ex fabrica huius partis in lepore confirmatur.

Has deſcriptiones oculorum quadrupedum diſ- p. 235.
ſectiones oculorum variarum auium, vt milui, ardeae, anſeris, anatis, anatis ferae, gallopauonis, gallinae, columbae, corui, gallinaginis, picae, noctuaeque minoris excipiunt. In corollariis Ill. Auctor p. 249.
monet: in auibus a retina ad lentem tenuiorem propaginem porrigi: nullum eas annulum ſtriatum habere, ſed corpus ciliatum fere, vt in quadrupedibus, fabrefactum eſſe; neruum opticum, vbi in oculum ingreditur, acuti anguli figuram habere, ex eoque partem ſingularem, alterne plicatam, vitreo corpore contentam oriri, quae in nonnullis auibus, in anſere v. c. anate, gallopauone cet. manifeſte lenti adhaeret. Retina etiam, vt in quadrupedibus, exterius nigro muco obducta eſt, oſſeusque circulus corneam ambit. Duabus quoque laminis retina

componitur, fibraeque in ea in nonnullis auibus conſpiciuntur. Corpus ciliare etiam in auibus ad lentem muco nigro adhaeret. Oculorum figura in aquaticis et graniuoris plana eſt; in rapacibus cornea valde conuexa deprehenditur, quod et de noctua valet, in qua cylindrus ſuper ſcleroticam eminet, et iris a chorioidea membrana diuerſa eſt.

p. 250. *Secundus de piſcium oculis ſermo, ad Gottingenſem Societatem an. 1766 transmiſſus eſt.* Deſcribuntur in eo oculi ſalmonis, variarum troctarum, lucii, cyprinorum variorum, corregoni, muſtelae fluviatilis, percae et tincae, de quibus omnibus praecipua iam alio loco adduximus *)

p. 263. XXXVIII. *Strena anatomica nuperrimarum nempe obſeruationum ex theatro Gottingenſi faſciculus* **), Gottingae d. 1 ian. 1740.

p. 263. XXXIX. *Quod* HIPPOCRATES *humanae anatomes non fuerit imperitus* Gottingae 1737 ***).

p. 272. XL. *De amoenitate anatomes oratio, dicta Gottingae* 1742 ****).

p. 277. XLI. *Opuſcula pathologica, quibus ſectiones cadaverum morboſorum continentur.* Cum de egregia hac obſeruationum, in morboſis cadaueribus inſtitutarum, collectione, iam tum temporis, cum primum in lucem prodierat, ad Lectores retulerimus *****); nunc ea tantum exponere noſtri officii eſſe duximus, quae in hac noua editione addita ſunt. Et in praefatione quidem Auctor Ill. ſua circa ſenſibilitatem experimenta, ac ea, quae de irritabilitate arteriarum dixit, quae vaſa ei non euidenter ad ſtimulum contractilia eſſe videntur, contra Cel. v. DOL-

VERII

*) Vid. Comment. noſtr. loc. cit.
**) Vid. opuſcul. anat. p. 315 ſeq.
***) Vid. ibid. p. 133. ſeq.
****) Ibid. p. 327. ſeq.
*****) Vid. Comment. noſtr. Vol. IV. p. 80.

VEREN *) eiusdemque discipulum Cl. VERSCHUUR **) defendit, ostenditque, Cl. viros fere eadem in suis experimentis vidisse, quae ipse vidit. Addit, in experimentis, circa arteriarum irritabilitatem factis atque ad physiologiam et pathologiam traducendis, probe perpendendum esse, effectus stimuli, a ferro lancinante orti, non cum stimulo sanguinis comparari posse, seque arteriis minimis vim insitam et nerueam non eripere, sed tantum adserere, in experimentis has partes, stimulo minus obedientes, quam musculos et intestina sibi apparuisse. Annexa sunt noua scriptorum variorum testimonia, quae insensibilitatem pleurae, durae matris, tendinum cet. confirmarunt.

Non solum vero obseruationes, in cadaueribus institutae, in hac noua editione sequentes accesserunt, sed et in fine additae sunt plures historiae curationum grauissimorum morborum, ab Ill. Auctore factarum.

Obs. 3. *Fusus pulsculis mensibus in sinu frontali haerens* ***). Plurimi post CELSUM Auctores docuerunt, vulnera sinuum frontalium perpetuo aperta manere. Hoc tamen non semper accidere probatur obseruatione, in puella facta, quae fusum sibi in frontem impegit, cuius frustum post nouem tandem menses de sinu frontali exiit, vulnusque facile firma cicatrice clausum est. p. 283

Obs. 4. In cerebro feminae sexagenariae, quae apoplexia sanguinea interiit, fere omnes partes in sinistro latere nigro coagulotoque sanguine obtectae, ventriculusque huius lateris eodem humore repletus p. 284

*) Vid. EIUSD. Obseruat. academ. pag. 208. Comment. nostr. Vol. XIV. p. 163.

**) In diss. inaugur. de arteriarum et venarum vi irritabili. Groning. 1766. 4.

***) Est programma Gottingae 1738. editum.

tus erat. In dextro tamen ichor tantum cruentus aderat, quod ventriculos hos minime inter se communicare probat.

Obſ. 16. quae *peripneumoniae ex transſudatione ſanguinis* exempla adfert, noua aliqua hiſtoria aucta eſt, viri, peripneumonia diu laborantis, in quo ſanguis, ab obſtructo pulmone excluſus, in ventriculum et inteſtina exſudauerat. In cadauere alius viri, ſubito exſtincti, vix vitium inuentum eſt, cui mors tribui potuiſſet. Ventriculus tamen ſubruber paullulumque inflammatus, cruentae lymphae aliquid continebat.

p. 298. *Obſ.* 18. In *ſtudioſo, ex morbo pectoris enecto*, pulmo ſiniſter ſuperius vlceratus erat, plenusque ſcirrhis. Haec pars pulmonis in aqua fundum vaſis petebat, reliquus vero natabat.

p. 299. *Obſ.* 21. Puer 17 annorum intra breue tempus magnum incrementum expertus erat, cum morbis variis, quorum ſedes in pectore erat, v. c. pleuritide, haemoptoë. In eo pulſus totum fere pectus occubabat, aegerque vrinae quoque ſuppreſſione laborabat. Tandem, accedente oedemate pedum ſanguineque per os reiecto, exſtinctus eſt. In eius ſectione Ill. Auctor vidit cor totum pectus ita occupare, vt pulmo ſiniſter, in minimum ſpatium compreſſus, lateret. Sinus cordis dexter etiam vehementer dilatatus, aortae vero magnitudo non aucta erat; caro cordis attenuata, pulmonesque nigri, compacti, eorumque cellulae ſanguine repletae deprehendebantur.

p. 305. *Obſ.* 25. In femina triginti circiter annorum, dyſenteria laborante, triduo ante mortem pulſus fere nullus ſimulque celerrimus percipiebatur. Vires tamen animi corporisque ſupererant, aegraque cibum etiam appetebat.

p. 310. *Obſ.* 33. In femina inteſtinum colon, cubiti longitudine ex ano elapſum, vidit Ill. Auctor, quod facile

cile quidem reponebatur, ſed mox iterum deſcende-
bat. Terminabatur illud oſtio eminente rugoſo,
quod valuulam coli referebat. Tunica villoſa ru-
berrima holoſerico tonſo ſimilis erat, ex eaque nitro
aliisque ſalibus conſperſa aquoſus ſudor prodibat,
nulla tamen contractio obſeruabatur.

Obſ. 39. Obſeruationibus *de calculis biliariis* an- p. 328.
tea editis, adduntur aliae, in quibus etiam morbo-
rum hiſtoriae reperiuntur. Virgo quadragenaria
periodicos vomitus doloresque hypochondrii expe-
riebatur. Aluus conſtipata erat, atque in dextro
hypochondrio tumor duriuſculus percipiebatur.
Huic Ill. Auctor ſuccos plantarum antiſcorbutica-
rum, cum iuſculis ex cancris fluuiatilibus et carne
vitulina dedit, acidularumque vſum ſubiunxit, atque
feliciter eam reſtituit. Poſt plures annos eadem ae-
gra ſimilem morbum experiebatur, qui ſimili fere
methodo ſanabatur. Tandem aegram, annum ſe-
ptuageſimum agentem, iterum morbus prior inua-
debat, ex quo, accedente febre lenta, etiam obiit.
In hac aliaque femina, in qua vehementiſſimi paro-
xyſmi ex calculis biliariis oriebantur, nulla icteri
veſtigia apparuerunt. Hinc opinionem a Cl. COE in
tractatu *de calculis biliariis* propoſitam *), Ill. Auctor
refellit, atque etiam aliis iisque grauiſſimis argu-
mentis, ex anatomia deductis, probat: calculos veſi-
culae felleae rariſſime icterum producere poſſe.

Obſ. 41. In puella ruſtica ſine vrethrae ſectio- p. 330.
ne, calculus, principio ſuo in vrethra haerens, ſatis
grandis hic delineatus, eductus et vrethrae quoque
atque ſphincteris robur perfecte iterum confirma-
tum eſt.

Obſ. 42. Ex abſceſſu mammae calculus exſciſſus p. 333.
eſt, teres, in ſpiram contortus, figuram ductus lacti-

*) A treatiſe on biliary concretions Lond. 1757. vid. Comment. noſt. ſuppl. Dec. I. p. 429.

feri perfecte referens. Naturam praeterea calcaream habebat et ex flauo de lacte glutine, quod in mammae ductu lactifero resederat, sine dubio natus erat.

p. 348. *Obs.* 52. Ouarium scirrhosum maximum in fœmina 61 annorum, quae hydrope periit, describitur.

p. 356. *Obs.* 55. Exemplum inoculationis, frustra in filia Ill. Auctoris institutae, recensetur. Vesicatorii et incisionis ope materia varioloſa applicata, nullam febrem excitauit, neque melius Ill. Auctor succesſit, cum altera et tertia vice noua materia vteretur. Haec tamen ipſa virgo poſtea nupta, pluribus, variolis laborantibus, adſtitit, nec vnquam morbum experta eſt. Adduntur ſimile exemplum, aliaeque inoculationis, cum optimo ſucceſſu inſtitutae, hiſtoriae.

p. 358. *Obs.* 56. In iuuene, febre miliari putrida exſtincto, in corde vigeſima a morte hora multus aër in bullas cum ſanguine intritus et fere efferueſcens inveniebatur. Inteſtina non inflammata, hepar vero et ventriculi pars vicina rubra et inflammata erant.

p. 368. *Obs.* 67. Aues ſubmerſas ope ſcintillarum electricarum excitare fruſtra Ill. Auctor tentauit. Aliquos tamen in muſculis motus produxit. Eandem quoque ignis electrici applicatio, per 21 dies continuata, in ſurdo ſucceſſu caruit, aegerque licet leuri videretur, tamen cerebri commotione nimis valida territus, ab experimento deſtitit.

p. 368. *Obs.* 68. Vlcera pulmonum Cl. Auctor cortice Peruuiano, cum lacte decocto, diaeta vegetabili et corporis exercitio aliquoties ſanauit. Feminarum vero, quibus cum ſputo cruento menſes emanſerunt, nullam ſeruare potuit.

p. 372. *Obs.* 69. Vulnerum renis pulmonumque ſeueriſſimae diaetae ope ſanatorum, exempla enarrantur.

p. 372. *Obs.* 70. *Hiſtoria morbi epidemici, qui in pago Bernenſi 1762 ſaeuiit*, ad Academiam Pariſinam miſſus

ſus. Anni huius aeſtas ſicciſſima et calidiſſima fuit, atque vltimis eiusdem anni menſibus in nonnullis pagi Bernenſis locis, inprimis vero in ea praefectura, quam Ill. Auctor regebat, morbus hic ſatis magnam ſtragem edidit. Calor tamen non vnica cauſſa illius eſſe poterat, cum in Alpinis vallibus etiam graſſatus ſit; probantque obſeruationes hic adductae, morbi miaſma, licet contagioſus fuerit, minime tamen ventorum ope translatum eſſe. In initio pleuritidem mentiebatur, ſed altero vt plurimum die pulſus ſubito debilitabatur, viresque proſternebantur et accedebant vomitus, diarrhoea ſpumoſa, cephalaea et ſopor. Nonnulli iam intra 24 horam perierunt, alii ad ſexageſimam vixerunt. In aliis autem, qui diutius morbo reſiſtebant, die quarto inflammationis viſcerum abdominis gangraenaeque ſigna apparebant, dieque quinto vel ſeptimo demum mors accedebat. Aderant in initio morbi ſudores copioſi, deinde vero cutis et oris ſiccitas ſuccedebat, et in nonnullis miliares puſtulae erumpebant. In hoc morbo Ill. Auctor, emeticum raro niſi primis morbi horis dedit, cum in morbis, vires vehementer frangentibus, iis non faveat; ſed cremore tartari, cui catharcticum medicamentum in robuſtioribus addebat, vel tamarindis, ſero lactis iunctis, aluum ſubducebat, diarrhoeamque ſuſtinebat. Propinabat quoque mel cum aqua ſubactum, cui ſpiritum ſulphuris ad octoginta nonnunquam in vna doſi guttas inſtillabat. Naturam enim magnas doſes acidorum mineralium ferre poſſe, in morbo proprio obſeruauit, in quo vltra duas libras olei vitrioli ſenſim ſumſit. Si cardiaco opus erat, ſulphure antimonii aurato vtebatur, non tamen in ea doſi, vt vomitum moueret; in leuiori morbo mixtura ſimplici vires ſuſtinebat. Diaeta aegrorum erat vegetabilis ex decocto auenaceo ſine carne vel ouis. Si tuſſis vrgebat, pectorale infuſum dedit et fomenta

emollientia adhibuit. Vſus quoque eſt cataplaſmatibus ex ſemine lini in aqua et lacte decocti. Venaeſectio funeſtiſſima fuit. Hac methodo adhibita, ex 77 aegris decem tantum obierunt, inter quos varii vino abuſi erant, vel male ab aliis tractati, aut aliis iam morbis laborantes; cum antea ex 95 aegris 85 periiſſent. Frigus inſolitum menſis martii an. 1763 morbum plane exſtinxit. Cauſſam morbi ponit Ill. Auctor praecipue in conclauia anguſta, immunda, fornace calefacta; quapropter aëris renouationem et regimen frigidiuſculum ſuaſit.

P. 376. *Obſ.* 71. Feminam triginta annorum, quae poſt abortum in febrem putridam incidit, conuulſionibus et delirio ſtipatam, lochiis nigris et foetidis efluentibus, ſulphuris primum ſpiritu, deinde cortice Peruuiano et tandem cremore tartari exhibitis, et veſicatoriis applicatis, ſeruauit. Eodem quoque remedio aliam puerperam, febre acuta cum deliriis et vrina pallida laborantem, reſtituit.

P. 377. *Obſ.* 72. In grauida, variolis laborante, variolarum copia, qua oris cauum repletum erat, ſuffocationem minabatur. Vapores aquae tepidae attrahere Ill. Auctor iuſſit ex roſtro vaſculi, in quo thea infunditur. Hinc aegra leuata, curationi reliquae tempus datum eſt, aegrotaque ſaniſſimam puellam partu edidit.

P. 377. *Obſ.* 73. Febrem neruoſam, ad 40 diem durantem, in Heluetia alias infrequentem, in iuuene Anglo curauit Noſter vino, camphora, ſerpentaria et veſicatoriis.

P. 378. *Obſ.* 84. Poſt febrem ſtuporiferam, quam virgo poſt inſultum epilepticum paſſa eſt, corticis Peruviani ope potiſſimum ſuperatam, illa in verum paroxyſmum epilepticum incidit. Adhibito tamen extracto valerianae cum limatura martis et cortice, paulatim ea conualuit, neque recidiuam paſſa eſt. Laudatur

tur ab Ill. Auctore hoc extractum ob egregiam ſuam virtutem antiepilepticam. Spicam tamen Celticam, quae in Alpibus occidentalibus non adeo rara eſt, adhuc praefert.

Obſ. 75. 76. Eiusdem corticis ope debilitatem neruoſam inſignem in viro, qui veros ſpaſmos hyſtericos experiebatur, atque amauroſin imperfectam et debilitatem totius corporis in alio ſanauit. p. 378. 379.

Obſ. 77. In femina 60 fere annorum, quae ex omnibus ſignis ſcirrho hepatis cum febre et abdominis tumore laborabat, citri ſuccum et acidum ſulphuris magna in doſi optimo cum effectu Ill. Auctor dedit. p. 380.

Obſ. 78. Deglutitionem impeditam, ex glandulis, oeſophago impoſitis, obſtructis, reſtituit idem ope mercurii dulcis cum aloë et camphora, ex cuius remedii vſu per aluum magnae gelatinae maſſae ſeceſſerunt. In ſimili malo alius aegri oleum tartari per deliquium in iure pulli exhibuit. p. 380.

Obſ. 79. Cauſſam debilitatis neruoſae malorumque hyſtericorum noſtra aetate adeo frequentium Ill. Auctor ponit, in maioribus impreſſionibus, a quacunque cauſſa in neruis debilitatis excitatis. Hinc callum aliquem neruis inducere ſtuduit ope acidorum mineralium, propinatis bis de die in aqua duodecim aut pluribus guttis olei vitrioli cum aequis partibus alcohol vini digeſti, atque egregios, inde effectus obſeruauit. Minime tamen exercitationem corporis neglexit. Vltima obſeruatione corticis Peruuiani vires contra gangraenam, a cauſſa interna natam, confirmantur. In figuris nouis additis calculus veſicae e puella extractus, calculus ductus galactophori, variique embryones cuniculorum delineantur. p. 381. p. 382.

V.

V.

DOMINICI VANDELLI, Philoſ. ac Medici reg. Botan. Prof. reg. ſcient. Acad. Vpſal. Florentin. Phyſicocriticor. Senenſ. literar. Ravennatis. Patauin. Luſatienſ. ſocii, diſſertatio de arbore draconis ſeu Dracaena. Acc. diſſ. de ſtudio hiſtoriae naturalis neceſſario in medicina, oeconomia, agricultura, artibus et commercio. Oliſipone. apud Anton. Roderic. Galliardum. 1768. 8. pagg. 39. tab. aen. I.

Quae per varia ſecula torſit botanicorum operam et concitauit attentionem arbor draconis, a CLUSIO olim deſcripta, nunc ſolertiori peritorum botanicorum induſtria ita dilucidata eſt, vt de vera eius natura et notis fructificationis vix quidquam deſit, quod addi debeat. Coniunximus eam ob rationem varia huc pertinentia ſcripta, quo pateat, quantum aſſiduitatis adhiberi debeat in corporis naturalis diſquiſitione, et quomodo repetitae perueſtigationes veritatem confirment.

Quam nunc perluſtramus Cl. VANDELLI diſſertationem, perbreuem inuenimus. Poſtquam enim pauca de ſanguine draconis, auctoribus, arborem hanc deſcribentibus, ſynonymisque diſſeruit, ſequentem floris, icone ſatis nitida delineatam, exhibet deſcriptionem:

p. 5. *Calyx* nullus. *Corolla* ſexpartita, vnguibus cohaerens. Laciniae ouatae, apice acuto incuruato, pubeſcente: dorſo carinatae, reuolutae. *Stamina.* Filamenta ſex, erecta, corollam aequantia, vnguibus inſerta: inferne membranacea, medio ouato compreſſa, incraſſata, ſuperius ſubulata. Antherae oblongae incumbentes. *Piſtillum* Germen ouatum, ſex ſulcis ſtriatum. Stylus longitudine ſtaminum, ſubangulatus.

tus. Stigma trifidum, obtuſum. *Pericarpium.* Bacca ouata ſexſulca, trilocularis. *Semina* tria ouato-oblonga, apice incuruato.

Sequitur dein ſpecialior trunci, foliorum, florum, fructuumque expoſitio, ex qua notamus, arborem deſcriptam a Cl. Auctore, in ſummitate ramoſam fuiſſe, ſex nimirum ramis conſtantem, ex quibus etiam rubrae prouenerint, ſanguineae lacrymae, ſimiles ſub globulorum ſubrotundorum complanatorum ſpecie in baſi foliorum prodiiſſe, flores, pedunculo articulato inhaerentes, ſtipulis quatuor lanceolatis circumdari, mane claudi, veſperi aperiri. Quae de ſanguine draconis in officinis pharmaceuticis parantur, nec non de vſu medico atque mechanico conſtant, breviter ad finem adduntur.

Addita his diſſertatio de ſtudii hiſtoriae naturalis neceſſitate, mineralogiam, hydrologiam, botanicen et zoologiam multiplicem in dictis doctrinis vſum habere exemplis docet, ex variis itineribus, a Cl. VANDELLI inſtitutis, collectis, quibus etiam factum eſt, vt libros conſcripſerit de aquis medicatis Mutinenſibus de aqua Brandelenſi (dell' acqua di Brandola,) hiſtoriam Mediolanenſem, de thermis Patauinis. Quoniam in itineribus his, hiſtoriae naturalis inueſtigandae cauſſa ſuſceptis, magnam corporum naturalium copiam collegerit Cl. Auctor, muſei eius, in viginti octo armariis diſpoſiti, conſpectus ad finem adiicitur, ſimul cum indice ſcriptorum eiusdem. p. 11. p. 31.

Peruenerat autem, quum haec ſcriberet, ad Cl. VANDELLI notitiam Cl. CRANTZII de eadem arbore editus libellus, ipſi tamen tunc nondum viſus, hinc ſubiicimus eum:

VI.

VI.

HENR. IOANN. NEPOM. CRANTZ. S. C. A. Maieſtatis Conſil. Inſtitt. med. et mater. med. Vindobon. Prof. Publ. Ord. Acad. Imp. nat. curioſ. et Soc. Botan. Florent. litt. Roboret. ſodalis, de duabus draconis arboribus botanicorum. Cum figuris aeneis partium fructificationis, duorumque nouorum generum conſtitutione. Viennae. impenſis I. P. Kraus, 1768. 4 mai. pl. 4. tab. aen. 1.

Epiſtola haec, ad Ill. VAN SWIETEN data, primo etiam loco in ſanguinis draconis fontes inquirit, collectis auctorum, de hoc relationibus tum antiquis, tum recentioribus, ex quibus docetur, multiplicem eſſe originem eius, nec plantas omnes ſufficienter cognoſci, qui ſimilem ſuccum ſuppeli-
p. 8. tant. Sed nec de ipſa arbore draconis CLUSII certitudinem inter botanicos eſſe, Cl. LOEFLINGIUM ad Aſparagos referre, vel Pterocarpum LINN. eſſe, cuius duas ſpecies adducit, quae florem papilionaceum, fructumque leguminoſum oſtendunt. Hinc Ill. LINNAEUM vtrumque genus pro draconis arbore adſumere. Quae, quum ita ſint, ſex diuerſas recenſet plantas Cl. Auctor, quae ſanguinem fundere perhibentur, aliis etiam inexplicatis relictis. Impugnat ſimul Ill. LINNAEUM aliosque et nouum genus adſignandum eſſe arbori, a CLUSIO deſcriptae, coniicit. Duas enim egre-
p. 19. gias ſtirpes Principi EUGENIO Sabaudo in viridario Vindobonenſi eſſe, easque adhuc viuere, ex quibus ſuam, Ill. SWIETEN iubente, deſcriptionem deſumſerit. Prima, ſexto aetatis anno 1748. in Hollandiam deducta, anno 1768. menſe maio ſpadicem protrudere coepit, iulio florere, auguſto fructus

ſtus oſtendere. Radices illa ramoſas habet, ſtolones reptantes, caudicem nudum, decem pedes longum, nodoſum ex foliorum cicatricibus, glabrum, non ramoſum. Corona foliorum in ſummo loco haerens, folia oſtendit imbricata, ſeſſilia, tres pedes longa, inferioribus declinatis, ſuperioribus erectis. Quod ad exortum folia latiora ſunt, latifoliam eam vocant hortulani. Spadix terminalis, ex centro foliorum, lignoſus, quatuor pedes longus exibat racemoſus, ramis denuo ramoſis, ſubglaucus, bracteis ad ramos alternis ornatus, ſtriatus, glaber, ramis irregularibus, alternis et oppoſitis. Florum numeroſa grex, ex quibus multi decidunt, pedunculis biarticulatis, quorum in ramis plerumque quinque ſunt. Corolla albida monopetala, ſexfida, laciniis alternis ouato-acutis, quae in limbis antheras recondunt, ſtamina namque membranacea, triangularia, antheras ſex erectas, corolla minores ſuſtinent. Germen ouatum in tubam deſinit conoideam, vaginam efficientem, ſtigma triſulcum trigonum. Fructus pro aetate ſua et magnitudine differt, minor tribus ſulcis inſtructus, trilocularis triſpermos, maior, ſeminibus abortientibus, vnilocularis, *an perpetuo?* ſemen albiſſimum ſubſtantiae eſt elaſticae, deguſtatum dulce. Elaſtica haec ſeminis materies, etiam ſeptimo menſe poſt, talis obſeruata eſt a Cl. Auctore, exſiccata, cornu ad inſtar indurata. Ex his notis, quod Aſparagi characteres non habet, nouum plantae nomen *Stoerckiae* imponit; eſt ſcilicet *Stoerckia arborescens, foliis enſiformibus ſubcarnoſis, imbricatis, patenti-pendulis.* Cunctae hic deſcriptae partes accurata icone illuſtrantur. p. 23.

Secunda vero ſtirps, Viennae in Haruckeriano horto culta, floruit anno 1756, cuius floris effigies pictas tantum vidit Noſter. Radices vt prioris ſunt, caudex decem pedes longus, ſimplex, vbi florebat, p. 26.

poſt

poſt ramoſus factus, magis glaber foliorum exortus, anguſtior, quare hortulani eam arborem draconis anguſtifoliam nominant. Spadix itidem cum priori conuenit, bracteae in pictura deſunt. Calyx nullus, corolla campanulata profunde ſexfida, maior ac in praecedente, ſtaminibus longe exſertis, ſex, piſtillum ſimilis longitudinis. Fructus drupa rotunda, oſſiculo, vnico, albido, polito, duriſſimoque foeta.
p. 29. Ad Yuccam referendam eſſe hanc plantam Cl. LAUGIER arbitratur, a qua tamen, quod recedit, nunc in Cl. OEDERI memoriam appellat Cl. CRANTZ eam *Oederam*, nempe *Oedera arboreſcens foliis enſiformibus, carnoſis, imbricatis, pendulis* dicitur, et floris delineatio ex effigie, hic aeri inciſa, repetitur.

Etſi vero duplicem hic plantam deſcripſiſſe videatur Cl. CRANTZ, quarum altera cum Vandelliana conueniat, noua tamen inquiſitione confirmare perueſtigationem, operam adhibuit Cl. BERENS, cuius itaque diſſertationem his ſubiungere liceat:

VII.

Diſſertatio inauguralis botanica de dracone arbore Cluſii, publice defendenda a REINHOLDO BERENS. Riga Liuono. Gottingae 1770. 4. plagg. 8. tab. aen. I.

Magna vtique cum aſſiduitate haec conſcripta, maximam partem contra Cl. CRANTZIUM directa eſt. Noſtri autem eſt, obſeruata candide recenſere momenta, quo, opportunitate fauente, veritas conſtet. Cl. Auctor vero ſub auſpiciis eximii GLEDITSCHII, qui propediem in actis Berolinenſibus vberiorem arboris draconis deſcriptionem eſt daturus, auide expectandam, eam florentem anno proxime elapſo, vidit, examinauit et hic expoſuit. Dedit primo arboris hiſtoriam, incipiens ab

Vlyſſi-

Vlyſſiponenſi Cluſiana, atque aetatem proueͣctiorem truncos ramoſos efficere contendit, adoleſcentem vero plantam caulem ſimplicem tantum habere probat, nec non duplicem draconis arborem Cl. CRANZII, exinde diiudicatam, ad Cluſianam eſſe referendam. Deinde ſingulas partes arboris ſigillatim perpendit Noſter, a radice ad fructum vſque, de quibus, quum multa iam ſuperius dicta ſunt, ea tantum, quae differunt, nunc adducemus. Spadix arboris non eſt *ſtolonifera*, folia *inferiora* pendula, *media* patentia, *ſuperiora* erecta ſunt. Spadix terminator calycem communem ſeu ſpatham vniuerſalem non habet, florum faſciculi verticillos imperfectos ſiſtunt, ſinguli incompletos floſculos ſimul continent, pedunculi articulati ſunt. Corollae praecoces maiores cum abortiuis minoribus miſcentur, ſenſim et ſucceſſiue aperiuntur, mane clauſi veſperi penitus patentes. Spathulae ad ramorum exortum adhaerent, ſtipulae plures ſetaceae baſin faſciculorum floralium cingunt. Corollae fundus melliferus eſt, piſtillum, triſulcatum tantum ſtyloideo receptaculo inhaeret. Pericarpium drupam ſubgloboſam ſiſtit, trilocularem, tribus vel ſex futuris longitudinalibus notatam.

p. 18.

p. 22.

p. 29.

p. 32.

Quare, quod vtique hae notae cum aliis generibus non conſpirant, nouum conſtituit, *dracaenae*, quod ab Ill. LINNAEO propoſitum iam eſt, eiusque characterem naturalem exhibet, ſynonyma addit, icones datas huius arboris diiudicat, nec non a ſe additas explicat, Crantzianas *Stoerckiae et Oederae* fructificationes repetit, et epicriſi addita denuo vtramque plantam, a Cl. CRANTZIO deſcriptam, a ſua non differre, *Stoerckiae* characterem ex floribus defloratis deſumtum, *Oederae*, oſcitanter ab hortulano depictae, in vigore floreſcentiae delineatum eſſe ſatagit.

VIII.

Kort Begrep af Grunderne til Pharmacien, at nyttja vid enskylta Föreläſningar. Utgifvit af ANDERS IOHAN RETZIUS, Ph. Mag. Chemiae ooh Hiſt. nat. Doc. vid Lunds Academie. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius 1769 48 pgg. 8. mai.

h. e.

Epitome elementorum pharmaciae in vſum praelectionum academicarum edita ab ANDREA IOANNE RETZIO.

Sub copia iſta librorum, qui praelectionum medicarum normae inſeruiunt, dolendum merito, quod vix vllus hucusque ſuppetat, pharmaciae in academia tradendae accommodatus. Vnde difficilior doctrina haec redditur vel neceſſitas naſcitur, oſcitantius eam docendi et tranſeundo quaſi, dum diſpenſatoria pharmaceutica enucleantur, ſumma tantum eius capita, ſub initium cuiuslibet praeparatorum claſſis attingendi. Vtilitatem tamen exinde, non ſolum in pharmacopolam, ſed in medicum, ſummam redundare in confeſſo eſt, adeo vt hic nec apte formulas praeſcribere, nec praeparationem medicamentorum praeſcriptorum diiudicare poſſit, nec in pharmacopoliis perquirendis aptus iudex ſit; vt taceamus ſaepe in vrbibus minoribus vel pagis illi ipſi praeparationem remediorum incumbere, nec, ſi in collegium quoddam medicorum receptus, de re pharmaceutica quaeſtione orta, officio ſatisfacere eum poſſe. Damnandus igitur quorundam, dum literis in academiis operam dant, in pharmacia addiſcenda torpor. Contra ea in academiis Suecicis haec ars eadem, qua reliqua medicina, cura foue-

tur,

tur, profeſſoresque peculiares ad eam docendam conſtituti; et ſuaſu collegii medici, antequam de Doctoris titulo diſpiciatur, annus, vt ſcimus, in pharmacopolae cuiusdam doctioris domo conſumitur, quod ipſum collegium quoque Stockholmiae in examinibus pharmacopoliorum annuis iuniores medicos lubenter admittit.

Rem ideo gratam vtilemque medicinae ſtudioſis Cl. Auctor fecit, quod ſchediaſmate hoc iſtorum induſtriam ſubleuauerit. Noua quidem et exſpectata nemo ab eiusmodi epitome poſcit, ſed haec ipſa concinno ordine et argumentorum (quantum ſcilicet pro breuitate iſta fieri poteſt) pertractatorum extenſione nobis placet, et vota excitat, vt ampliori dictione vel Auctor ipſe vel alius, filo harum linearum inſiſtens, artem perſequatur.

In tria ſumma capita hic libellus diſpeſcitur; quarum primum agit de pharmacia generatim, de inſtrumentis, de characteribus, de ponderibus et menſuris; alterum de encheireſibus pharmaceuticis in vniuerſum; tertium de praeparatis, vbi praemiſſis iis, quae ad ſimplicium collectionem, exſiccationem, conſeruationem cet. pertinent, ſingula praeparatorum, tam interno, quam externo vſui deſtinatorum, genera, pulueres ſcilicet, conſeruas, ſuccos expreſſos, pilulas, eſſentias, olea, ſpiritus cet. additis exemplis, perſequitur.

Non ſuperfluum habemus in perſiſtente adhuc abuſu monitum Cl. Auctoris, ne pro ſiccis, quibusdam remediis et liquidis aqua grauioribus, loco ponderis, menſurae adhibeantur. p. 8.

In radicibus colligendis merito inter ſtirpes annuas et biennes perennesque diſtinguitur, quarum priores autumno poſt maturationem colligantur, poſteriores autem vere, antequam folia emerſerint. p. 16.

Succi expreſſi ſeruantur in ampullis, quibus oleum recens ſuperfuſum. p. 17.

te ſuadet Noſter, vt ea, quae, pulueris inde conficiendi cauſſa, ſiccari debent, lentiſſimo caloris gra-
p. 20. du ſiccentur. Vt ſucci expreſſi clari euadant, Noſtro in vſu eſt, phialam iſtis repletam, poſtquam aliquoties aquae calidae immiſſa fuerit, in aquam frigidam immergere.

IX.

Eſſai ſur les maladies, qui attaquent le plus communement les gens de mer, contenant une méthode courte et facile pour les connoître, les guérir, et même en préſerver. Ouvrage utile aux chirurgiens naviguans, et même à tous les marins, qui ſe trouvent dans des bâtimens, oú il n'y a point de chirurgien. On a joint quelques obſervations ſur la méthode la plus ſûre de ſecourir les noyés, et de traiter les fiévres de l'Isle Saint-Domingue et des autres Colonies Françoiſes aux Antilles. Par G. M**. Maître ès arts et en chirurgie. A Marſeille, chez I. Moſſy, Libraire, 1766. 12. pll. 15.

i. e.

Tentamen ſuper morbis, homines, mari viuentes, praecipue infeſtantibus, continens methodum breuem et facilem illos cognoſcendi, curandi, imo praecauendi. Opus chirurgis naualibus atque omnibus adeo nautis vtile, qui ſunt in nauibus, chirurgo deſtitutis. Accedunt obſeruationes quaedam de methodo tutiſſima iuuandi ſubmerſos, et tractandi febres in inſula S. Dominici ceteriſque coloniis Gallorum in inſulis Antillis, Auctore G. M**.

Com-

Compulſus eſt ad ſcribendum hunc librum Noſter defectu eorum librorum, qui de morbis nauigantium agunt, non eo quidem vniuerſali, ſed in lingua tantum ſibi vernacula. Cognoſcimus ideo et laudare debemus ardorem Noſtri, ciuibus ſuis commoda atque vſum praeſtandi: in toto quippe opere ingenuitas et ſtudium ſalutis publicae egregie eluceſcunt. Coniuncta ſunt, quae ab aliis de hac re dicta fuerunt, atque eo quidem modo expoſita, vt deſcenderetur ad captum hominum, nulla rerum medicarum cognitione imbutorum: quare theoria morborum pertractatorum ſolis phaenomenis in ſenſus incurrentibus ſuperſtruitur, ſubtilioribus hypotheſibus quibuscumque neglectis. Id etiam ſedulo quaeſiuit Noſter, vt medicamenta propoſita eiusmodi eſſent, quae facile comparari poſſint aut ſeruari in nauigiis. Diſpeſcitur autem totus liber in duas partes, quarum prior morbos internos, altera externos exponit; quam ſequitur index formularum medicamentorum, quarum in tractatione morborum ipſorum mentio fit, ac tandem alphabeticus ordo medicamentorum, quae dictas modo formulas ingrediuntur, additis, vbi opus videbatur, quibusdam ex hiſtoria naturali, atque indicatis in praecipuis bonitatis ſignis.

In parte prima exponuntur vomitus nauigantium, ſcorbutus, rheumatiſmus, ictus ſolis ſeu phrenitis, febres putridae, febres malignae, febres intermittentes, colicae, cholera, morbi venerei, peſtis, febres, in coloniis gallicis graſſantes, et tandem remedia ſubmerſos in vitam reuocandi: in altera autem vulnera et vlcera, contuſiones et fracturae, clavi, furunculi et abſceſſus, ambuſtiones, herniae, morſus animalium venenatorum, ſcabies, et dracunculus ſiue vena Medinenſis, huicque ſubiunctum eſt

caput ſingulare de auxiliis chirurgicis, cucurbitulis nimirum ſiccis et cruentis, veſicatoriis, hirudinibus et cauterio actuali aeque ac potentiali.

p. 5. Vomitus nauigantium adeo negligendus non eſt, vt plerumque fit: quare ad eumdem tum praecauendum, tum curandum auxilia conuenientia praeſcribuntur. In genere autem ea non niſi illis conueniunt, qui itineris tantum cauſſa nauem conſcendunt: qui enim hanc ipſam vitae rationem ſibi delegerunt, illi quouis modo aſſuefaciendi ſunt, ſi boni nautae fieri velint. In tractatu de ſcorbuto methodum Cl. MORETI prae reliquis commendat Noſter: reprobat autem purgantia draſtica, ab eodem in vſum vocata, quod ſaepe in ſcorbuticis tunica inteſtinorum interior varicoſa eſt et exulcerata, ideo-

p. 105. que iure ſuo leniora ſuadet. Ad morbos venereos quoscumque remedium Swietenianum commendat, cum ob ſummam eius vtilitatem, qua omnes alias mercurio vtendi methodos maxime antecellat, tum quod nulla alia medendi methodus aeque commode ac facile in nauibus adhiberi poteſt. In peſte magnam partem timoris ſuperfluam eſſe atque ideo noxiam monet, et eam pari, ac febres malignas, ratione tractat. Tractatus de febribus coloniarum non niſi extractum ex opere Cl. DESPERRIERES ſiſtit, quod Pariſiis 1763 ſub titulo: *traitè des fievres de l'Iſle Saint-Domingue* prodiit, et extractum hoc ipſum ex menſe octobri eiusdem anni diarii medici depromtum et hic inſertum eſt. Cum adeo frequens ſit in nautis herniarum generandarum occaſio, ſuadet Auctor, vt praefecti nauium ſemper ſufficiente quantitate bracheriorum, rite paratorum, inſtructi ſint, quo, vrgente neceſſitate, ſelectus eorum

p. 213. inſtitui et hernioſis ſuccurri queat. Ad morſum animalium venenatorum ex KAEMPFERO ligaturam, ſcarificationem et externum aeque, ac inter-

num

num theriacae vſum commendat. In ſcabie, per contagium communicata, internis medicamentis opus non habet, ſed ſtatim vnguentis, ex ſulphure aut mercurio paratis, morbum aggreditur. De dracunculo ſeu vena Medinenſi opinioni Cel. ASTRUC adſtipulatur, qui illam vermem putat. Iis praefectis nauium, qui chirurgo carent, incumbit, vt aliquam hirudinum copiam ſibi procurent, quo earum vſu venae ſectio ſuppleri poſſit. p. 218.

X.

Hiſtoire de l'Eléphantiaſis, contenant auſſi l'origine du ſcorbut, du feu ST. ANTOINE, de la verole, etc. avec un précis de l'hiſtoire phyſique des tems. Par Mr. RAYMOND, Docteur en Médecine de la faculté de Montpellier, aggrégé au collège des Médecins de Marſeille et membre de l'Academie des belles lettres de cette même ville, etc. etc. A Lauſanne, chez François Graſſet, et Comp. 1767. 8. pagg. 132.

i. e.

Elephantiaſis hiſtoria, continens ſimul originem ſcorbuti, ST. ANTONII, luis venereae cet. cum epitome hiſtoriae phyſicae temporum. Auctore Cl. RAYMOND.

Praemiſſa etymologia et ſynonymia morbi, deſcriptio eiusdem ex ARETAEO additur, et pauciſſima hinc inde eidem additamenta interſpergunter, ſiquidem ARETAEUS ipſe eumdem vberrime depinxit. Poſtmodum tria referuntur huius morbi exempla, quae Cl. Auctori obuenerunt, qui vel prorſus nullam admiſit medelam, vel efficaciſſimis p. 6.

remediis parum tantum leuatus fuit. Excurrit tunc Cl. Auctor per omnem terrae ambitum, et in omnibus eius partibus obſeruatas elephantiaſis hiſtorias colligit, ex quibus patet, eam quamquam non prorſus exſtinctam, tamen noſtro aeuo rariorem eſſe in Europa, quam in reliquis partibus orbis, ex quibus
p. 46. omnibus denique ſequentia confectaria elicit: morbo generando fauent duae potiſſimum cauſſae phyſicae, atmoſphaera impurior et errores inſigniores in cibi potusque peruerſis generibus commiſſi. Gravior ille eſt et frequentior in regionibus auſtralibus, quam borealibus, potiſſimum, in inſulis, intra tropicos ſitis. Differt etiam in variis regionibus ratione partium corporis, quas potiſſimum tangit, vt in regionibus calidis extremitates, in Americanis ſpecialim crura, in borealibus autem tota ſuperficies corporis eo afficiantur. Contagioſus proprie dicendus non eſt: haereditate tamen et forte lactatione propagatur. Curari nequit, ſed tantum leniri ſe patitur ope demulcentium et balneorum; ſulphuris, antimonialium et cinnabaris vſum fert, mercurialium autem et omnium calefacientium vſum reſpuit. Putridae indolis eſt, ſeu talis, quae ſucceſſiue partes in toto corpore corrodit, vti eſt in pluribus morbis chronicis; ad quam indolem acquirendam plurimum conferre alimentorum varia genera, inprimis ex piſcibus, Cl. Auctor, variis inſtitutis experimentis, didicit. Hoc enim alimentum plurimum facere ipſi videtur vt ad alios, ſic et ad hunc morbum generandum et fouendum; ſique minus frequens inde ſanitati diſpendium oriatur, hoc inprimis vel aëri ſalubriori et perſpirationi magis proficuo, vel additis correctionibus et potiſſimum liberaliori vini vſui tri-
p. 55. buendum putat. Multum etiam confert deiectus animus ac triſtis, qui ideo in dominiis ac regnis deſpoticis, qualia orientalium e. ſ. p. plura ſunt, cauſ-

ſas

ſas morbi phyſicas vehementer intendit. Quod ad mutationes interiorum corporis partium ſpectat, veteres easdem pari, vt exteriores, modo tuberculis obſeſſas ſuſpicabantur; id quod ſecta recentioribus temporibus cadauera hoc morbo demortuorum clare confirmarunt, quibus corruptio plurium viſcerum aut ipſorum exſiccatio patuit, ſanguine in gelatinam mollem et liuidam conuerſo. Concluditur inde ex omnibus his collectis, hunc morbum praecipue humoribus ſebaceis et mucilaginoſis nerueoque liquido infenſum eſſe; quare intellectu facile eſt, cur idem plerumque in febrem lentam tranſeat.

Progreditur nunc Cl. Auctor ad hiſtoriam morbi noſtri, ex antiquiſſimorum temporum monumentis eruendam. P. 57. Prima telluris conditio, neglectus agriculturae et piſcium abuſus non potuerunt non, vt aliis putridis morbis, ita et noſtro, fauere: inprimis autem ora maritima Aſiae minoris et inferior Aegypti pars ſemper pro ſolo natali eiusdem habitae ſunt. Inde commorati in Aegypto Iudaei eumdem contraxerunt, adeo, vt hiſtorici profani eosdem hanc ob cauſſam expulſos fuiſſe contendant. P. 61. Neque is ſolus morbus Aegyptios infeſtabat, ſed plures alii congeneres, atque praeſertim quidam venereo ſimilis, cuius et in litteris ſacris mentio fit. P. 65. Iudaeis itidem varia morborum cutaneorum genera familiaria fuerunt, ſpeciatim vitiligo alba, quam lepram dicit ſacer codex. Elephantiaſis exemplis etiam Cl. Auctor Iobum et Lazarum annumerat. Ex omnibus iis ratio peti poteſt vetitarum a lege Moſaica carnium deterioris indolis ac nutrimenti. Procedit Cl. Auctor in Syriam, in qua, praecipue tempore Romanorum, morbus noſter obſeruatus eſt, quod ARCHIGENIS et AETII teſtimoniis euincitur. P. 75. Neque reliquae Aſiae prouinciae inſulaeque adiacentes ab hoc et congeneribus morbis immunes P. 79.

fuerunt. In Africa eumdem graſſatum eſſe ex CAELIO AURELIANO patet, et ex eo quoque colligi poteſt, quod morbi cutanei verminoſi ibidem frequentioris, quem phthiriaſin dicebant, ſaepius apud Auctores mentio fit, qui ipſe etiam in imperio Romano crebrius occurrebat. Situs Graeciae et naturalis huius regionis indoles morbo noſtro multum omnino fauent, et ipſum vere ibi olim graſſatum eſſe, litterarum documenta teſtantur: cum autem haec terra culta eſſet et ſub imperio placido floreret, elephantiaſis quidem et lepra ſenſim diſparuere, reliquis tamen morbis cutaneis ſuperſtitibus relictis.

p. 86. In Italia morbus noſter, durante republica, non videtur adfuiſſe, licet cauſſis phyſicis ipſius praeſentibus: ſub imperatoribus autem frequens fuit, teſtantibus vno ore ſcriptoribus huius aetatis. Neque defuerunt alii huius generis morbi, imo fuerunt ex eorum numero, qui ſpeciem venerei miaſmatis praeſe ferrent, qualis erat campanus ille, cuius HORATIUS meminit. Eamdem elephantiaſin Galliae meridionali familiarem fuiſſe, teſtimonium ARETAEI comprobat, quem paullo poſt GALENI tempora vixiſſe, Cl. Auctor in critica excurſione demonſtrat, et poſtmodum originem eius mali perperam tribui contagio, quod cum exercitu POMPEII ex oriente in occidentem traductum ſit, oſtendit.

p. 98. Progreditur poſtmodum ad aeuum medium, ibi ſubiugatis ab Arabibus ſeculis ſeptimo et octauo Syria et Aegypto elephantiaſis nomen leprae Arabum nacta eſt. AVICENNA eamdem deſcribit, ſed ipſe

p. 100. eam obſeruaſſe non videtur. Sub eo ipſo tempore, latente iam inde a ſeculo ſecundo imperio Romano, eoque demum ſeculo quinto funditus euerſo et horrenda barbarie omnia inundante, morbus noſter in Gallia praeſertim mire auctus eſt, quod prolixe enarratur et ex deplorando ſtatu ciuili prouinciarum,

rum, quem neceſſario neglectus oeconomiae ſequebatur, colligitur. Morbos etiam alios, peſtemque inprimis, multo frequentiorem tunc fuiſſe, ſupputata demonſtrant. In mediis his turbulentis tem- p. 106.
poribus ceſſant litterarum monumenta, quare quae ſingulis ſeculis morbi noſtri facies et conditio fuerit, ex paucis tantum, quae hinc inde exſtant, documentis elici poteſt, inter quae leges quaedam, a ſummis imperantibus promulgatae, et noſodochia, in commodum eiusmodi aegrorum exſtructa, referri debent. Videtur autem ipſis temporibus bellorum p. 111.
ſanctorum, in Palaeſtina geſtorum, vbi ingentem copiam eiusmodi aegrorum exſtitiſſe patet, minor metus contagii fuiſſe, quam credi poſſet. Neque ille ſolus morbus tum adeo communis erat in Gallia, ſed et vitiligo et ignis S. ANTONII ſeu infernalis, ſeu malum ardentium, quod anno aerae chriſtianae 993. primum ſaeuitiem ſuam exſeruit, et deſcriptio cuius conuenire videtur cum necroſi ſeu gangraena ex vſu ſecalis cornuti; tandemque ignis ſacer ſeu Perſicus, aut eryſipelatis gangraenoſi ſpecies, in eadem graſſabantur. Iisdem porro temporibus, anno nempe p. 118.
1241 plica Polonica primum innotuit. Scorbutus ſeculo decimo ſexto longe lateque vagabatur, et ra- p. 119.
tione ſymptomatum proxime accedebat ad elephantiaſin, ſimili modo, vt noſtris etiam temporibus NITSCHIUS in exercitu Ruſſorum eum obſeruauit, ſcorbutum elephantiacum dicendum, cuius vberiorem deſcriptionem Cl. LIND exhibuit. Scorbuto omnino plura communia ſunt cum elephantiaſi, adeo, vt a nonnullis Auctoribus ſeptentrionalium regionum confundantur inter ſe, tam ratione effectuum eorum in ſanguine, quam ortus et cauſſarum, imo et remediorum eorum. Scorbutus antiquiſſimus morbus eſt: in Germania teſtibus TACITO et PLINIO, in THRACIA teſte HIPPOCRATE ſub vna

eadem-

eademque forma ſaeuiit. Cultioribus autem regionibus redditis, itidem diſparuit, vel certe mitior factus eſt. Seculo decimo ſexto rhachitis increbuit, quam pro nouo morbo habuerunt, licet vero ſimillimum ſit, HIPPOCRATEM iam ipſum cognouiſſe. Tandem acceſſerunt morbi venerei, qui autem omnino ante expeditionem Neapolitanam exſtitiſſe putandi ſunt, vt ſuperius iam Cl. Auctor demonſtrare ſategit, et nunc vberius oſtendere annititur. Saeua autem omnium horum morborum cohors deſiit tandem hac, qua ante, ferocia integras regiones deuaſtare, quum ſtatus et conditio hominum mutarentur, quod vſque ad finem operis Cl. Auctor ſolide explicat ac declarat.

XI.

Diſſertation ſur une méthode nouvelle de traiter les maladies vénériennes par des lavemens: on y a joint une inſtruction deſtinée à guider ceux, qui adminiſtreront ce remède, et pluſieurs obſervations, qui y ſont relatives. Par Mr. ROYER, ancien chirurgien Aide-Major des armées du Roi. A Paris, chez l'Auteur, et Antoine Boudet, Imprimeur du Roi. 1767. 8. pll. 10.

i. e.

Diſſertatio de noua quadam methodo curandi morbos venereos ope clyſmatum: cui accedunt inſtructio in vſum eorum directa, qui remedium hoc vſurpare volunt, et multae obſeruationes, hoc argumentum concernentes, Auctore Cl. ROYER.

Vti ex praefatione apparet, iam per aliquod tempus Cl. Auctor medicamenta, quibus ſub clyſmatum

matum forma adhibitis morbi venerei vincuntur et curantur, confecit et diſpenſauit, ideoque ante aliquot annos inſtructionem, cuius in titulo praeſentis operis mentionem facit, in lucem edidit: cuius cum exemplaria omnia diſtributa eſſent ac diuendita, de noua eiuſdem editione cogitandum erat. Tradit praeterea Cl. Auctor, remedium hoc, quod duplicis generis eſt et ex liquore quodam et puluere conſiſtit, in exteras diſſitasque omnino regiones mittendum a ſe poſtulatum fuiſſe, quare idem magis concentrauerit, quo commodius in aliena loca transmitti poſſet. Miramur autem, Noſtrum rationem tum liquorem, tum puluerem praeparandi reticuiſſe, et modum tantum fuſe et copioſe ſatis recenſere, quo vtrumque clyſmatibus admiſceri ipſaque in vſum vocari oporteat: qua in re nos equidem veremur, ne quibusdam paullo plus iuſto receſſiſſe ab ingenuitate viri, de augendo commodo ſcientiae noſtrae ſolliciti, et magis lucri aut honoris habuiſſe rationem videatur. Et ſi recte iudicamus, ipſa haec inſtructio neque nos legendo iuuit, neque ſperare poſſumus, fore, vt ex eius recenſione Lectores noſtri multum emolumenti caperent, quum ipſum remedium incognitum ſit. Obſeruationibus tamen, a Cl. Auctore additis et teſtimonio multorum eorumque eximiae dignitatis pariter, ac famae virorum confirmatis, fidem plane non denegamus, quibus id quidem clare patet, magnum eſſe remedio eiuſdem pretium ſtatuendum. Neque ergo nos tangemus epiſtolam, huic operi ſubiunctam, quae iam anno 1765 ſeorſim prodiit, qua methodum ſuam medendi contra inſultus anonymi cuiuſdam in ſcriptione, cui titulus: *Parallele des différentes méthodes de traiter la maladie vénérienne*, *) factos defendit. In ſolius ergo introductionis ſumma cum Lectoribus noſtris communicanda nunc noſtra verſabitur opera.

Com-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 405.

p. 3. Commendatur haec medendi methodus potiſſimum certitudine curationis et facilitate adminiſtrationis, quia nempe neque praecautionibus, neque regimine ſingulari indiget. Sola euacuatio, quae ſenſibiliter augetur, eſt ea per vrinam; quod a pluribus remediis fieri diuerſis Auctorum teſtimoniis
p. 7. probatur. Ad ſperatum autem ſucceſſum obtinendum omnino requiritur, vt clyſma in totum tractum inteſtinorum craſſorum deferatur ibidemque commoretur, donec vel penitus, vel ſaltem fluidiſſimam ſui partem, reſorptum fuerit et ſanguini admiſtum: quod cum duplici via fieri poſſit, vel mediantibus vaſis lacteis inteſtinorum craſſorum, vel venis meſentericis, de vtraque prolixe ſatis diſſeritur et reſorptionis negotium declaratur, quem in finem etiam peculiaria a ſe in cuniculis inſtituta experimen-
p. 22. ta Cl. Auctor recenſet. Non ergo ſola euacuatione clyſmatum vſus continetur, ſed experientia docuit, eorumdem auxilio et nutriri corpora et medicamenta eidem applicari poſſe, v. c. chinae corticem et opium, vbi Cl. Auctor in addita notula feminae meminit, quae immenſum dolorem a cancro vteri ſenſit, ſolo quotidiano vſu duarum vnciarum laudani liquidi SYDENHAMI, in clyſmate applicati, lenien-
p. 36. dum. Quo melius autem modus applicandorum clyſmatum pateat, exponitur ſitus inteſtinorum cum ipſorum ſtructura, et demonſtratur, ad augendum illorum effectum neceſſario requiri, vt muſculi abdominales et diaphragma, atque totum adeo corpus, in quiete ſint; neque aliter fieri inde poſſe, quin modus ſibi ipſi applicandi clyſma effectu vix non ſemper deſtituatur. Opus ergo eſt, vt aeger penitus in latere dextro decumbat, natibus parum eleuatis et femoribus leuiter inflexis. Omni etiam cura attendendum eſt, ne veſtimenta abdomen comprimant, quod praecipue in feminis fieri facile poteſt.

Re-

Reſpiratio leuiſſima eſſe debet, et magis ore, mediocriter aperto ſeruando, quam naribus perficiatur. Qui applicat clyſma, eo reſpiciat, quo piſtillum ſyringae lente tantum agere ſinat, motuque continuo, minime autem ictibus interruptis. Applicato clyſmate, aeger in dorſo iacens tranquillum ſe ſeruet, flexis cruribus ac femoribus, eumque ſitum, quamdiu ferre poteſt, retineat. Regulas has non ſolis clyſmatibus antiuenereis Cl. Auctoris noſtri terminari, ſed vbique obſeruandas eſſe, facile quiſque perſpicit: quare noſtram in iisdem hic exſcribendis prolixitatem Lectores nobis condonaturos eſſe ſperamus.

XII.

Expoſition anatomique de la ſtructure du corps humain par Mr. WINSLOW, Docteur Régent de la Faculté de Médecine de Paris, etc. Nouvelle Edition faite ſur un exemplaire corrigé et augmenté par l'Auteur, à laquelle on a joint de nouvelles figures et tables, qui en facilitent l'uſage et la vie de l'Auteur. à Paris. 1766. To. I—IV. 12mo.

h. e.

Expoſitio anatomica ſtructurae corporis humani, Auctore WINSLOW. Editio noua facta ad exemplar, ab Auctore correctum et auctum. Accedunt figurae nouae et indices, vſum libri faciliorem reddentes, cum vita Auctoris.

Non opus eſt, vt libri adeo egregii, tantique ab omnibus anotomiae gnaris merito aeſtimati verboſiores ſimus praecones. Nota eius explorata-

que

que habetur praeſtantia, quae in fida, concinna et eleganti fabricae corporis humani deſcriptione conſiſtit, tantaque reperta fuit, vt, praeter erratorum typographicorum, quae in priores editiones irrepſerant, emendationem, quid in noua hac editione vel mutari vel corrigi, vel addi potuiſſet, haud inueniretur. Quamuis vero neque ordinis, neque orationis notabilis quaedam mutatio facta fuerit *), praeter emendatiorem tamen textum, alia ſunt, quae hanc editionem ornant, et praecedentibus praeſtantiorem reddunt. Adiecti nimirum ſunt indices, Francogallicus alter rerum omnium, quae in toto opere continentur; alter vocabulorum Latinorum in anatome vſitatorum, perque Francogallica explicatorum, quo vtrisque, tum his, qui Gallice anatomen docti, libros anatomicos latino ſermone conſcriptos adire, et illis, qui latine illam docti, ex WINSLOWII ſcriptis proficere cupiuut, conſulatur. Quo diſtributionis neruorum vaſorumque cognitio eo aptior et accuratior enaſceretur, tabula magna nervorum Vieuſſenia, et HALLERI tabulae duae arteriarum venarumque, in corporis anteriori pariter atque poſteriori facie ſpectandarum, additae ſunt, etiamſi, quum forma libri tabulas has multum contrahi imperaret, non omnia clare ſatis exprimi potuiſſe, variaque diſparuiſſe, vtique fatendum ſit. Quo denique liberali ſatisfieret omnia tanti viri merita cognoſcendi cupiditati, quae ab ingenui Lectoris

*) Vnicum tantum paragraphum huic editioni additum inuenimus T. I. p. 431. *traité des os frais* §. 57. in quo Cel. Auctor monet, methodum, qua vulgo actio muſculorum determinatur, eos ſcilicet in cadauere iam, vt aiunt, praeparatos trahendo fallacem eſſe, cum raro tunc ſecundnm eorum directionem naturalem trahantur, atque connexiones laterales etc. iam deſtructae ſint.

ris animo abeſſe nequit, vita Clariſſimi Auctoris cum icone ipſius toti operi praefixa reperitur *).

XIII.

Hiſtoire de l'Academie royale des ſciences année 1763. Avec les mémoires de mathématique et de phyſique, pour la même année, tirés des regiſtres de cette Academie. A Paris de l'imprimerie royale 1766. 4. 3. Alph. 9½ pl. Tab. aen. 19.

i. e.

Hiſtoria et commentarii regiae Academiae ſcientiarum Pariſinae, ad annum 1763.

Ex hiſtoria academiae ſequentes articuli potiſſimum commemorandi ſunt.

In obſeruationibus, ad phyſicam generalem pertinentibus, notatur: 1. Die duodecimo 1763. in arce Denainuilliers mercurium in barometris ad 26′ et 3″ deſcendiſſe ad quod punctum per triginta annos, quod ex obſeruationibus, per illud temporis ſpatium non interruptis, a Cl. DU HAMEL ſedulo ac ſumma cura annotatis, patuit, nunquam in hac regione deſcenderat. Academici Pariſienſes fere omnes idem phaenomenon obſeruarunt. Ex quo nimio mercurii deſcenſu nonnulli extraordinariam aliquam tempeſtatem praedicebant; ſed ea non eſt conſecuta, licet mercurius in inferiori hoc puncto ſatis diu haeſerit. 2. Columna lucida verticalis 10 gradus alta P. 17.

*) Elogii huius Auctor eſt Cl. DE FOUCHY, Secretarius perpetuus Academiae Regiae ſcientiarum Pariſinae. Vid. *Hiſtoire de l'Acad. des Scienc.* A. 1760. p. 288. et Comm. noſtr. Vol. XIV. p. 583.

alta die 23 martii 1763 dimidia poſt occaſum ſolis hora Louſonii a Cl. ROSTANO obſeruata ac cum Academia communicata deſcribitur. 3. Obſeruatio Cl. SAUSSURII aquae, hora 5ta die 3tia auguſti 1763 in foſſa Geneuenſi, cum lacu connexa, ad quatuor pedes et 9″ vltra libellam ſubito alternis vicibus adſcendentis ac deſcendentis recenſetur, vna cum rationibus, quae hoc phaenomenon ex lacus, nec non Rhodani intumeſcentia deriuandum eſſe declarant. 4. Hiſtoria terrae motus, Auenione 12ma iulii 1763 hora ſeptima matutina a Cl. PAULIANO obſeruati, ad Cl. MAIRANUM perſcripta recenſetur. 5. Obſeruationes Cl. HOUTUYN Med. Amſtelodamenſis per Cl. BRISSONUM cum Academia communicatae, concernunt hiſtoriam frigoris a 23 decembr. 1762 vſque ad 24 ianuarii 1763 ſaevientis, in quibus notatur die 3, 4, 5ta ianuarii, deſcendente fluido in thermometro Reaumuriano vſque ad 8 gradum infra congelationis punctum, illud maximum, glaciemque ex hoc frigore in aqua dulci 14 pollices, in ſalſa et marina 18 pollices craſſam fuiſſe. 6. Obſeruatio Anonymi amici Cl. CONDAMINE mira recenſetur, qui eodem anno, nempe menſe decembr. 1762 et menſe ianuario 1763, circa Sablonium in Olonnia per quinque milliaria aërem obſeruauerat temperatum, transgrediendo vero hunc limitem frigus circumquaque ſaeuiit et non ſolum in terram ſatis profunde penetrauit, ſed Ligerim etiam, in locis mari propinquis, glacie obtexit.

P. 34. In *obſeruationibus anatomicis* occurrit 1) ſectio cadaueris hominis, qui chronica dyſenteria laborauerat et in ſiniſtro latere pectoris tumorem, ad tactum dolentem, circumgeſſerat. In eo colon anguſtatum et ſcirrhoſum, hepar tuberculis ſcirrhoſis vitiatum, pericardium autem magna ſeri ſanguinolenti copia diſtentum et cor exulceratum deprehende-

ban-

bantur. Cl. BOURRU qui obſeruationem hanc cum Academia communicauit, hac occaſione oſtendit, omnino in eiusmodi aegris paracentheſin thoracis ad aquam e pericardio emittendam inſtitui poſſe. Minime tamen negat plenariam aquae emiſſionem, cum ſemper cor pericardii humore opus habeat, etiam nocere poſſe. 2. In calculo, ſectione educto, ſpica tritici inuenta eſt, quae nucleum eius conſtituebat. Similes obſeruationes *) probant, corpora peregrina, in veſicam introducta, facile calculi materia obduci. Mirum tamen eſt, hominem, e quo calculus hic eductus eſt, modum plane ignoraſſe, quo ſpica haec in veſicam introducta fuit.

In *obſeruationibus chemicis* indicatur methodus, P. 49.
qua *reſina elaſtica*, a Cl. CONDAMINE olim deſcripta **), ita ſolui poteſt, vt poſt ſolutionem elaſtica eius vis adhuc ſuperſit. Reſina enim haec, quae in America auſtraliore ad ripas fluuii Amazonum, ex cortice cuiusdam arboris ***), inciſionibus in eo factis, exſudat, fumoque induratur, non vt aliae reſinae in ſpiritu vini ſoluitur, ſed tantum in oleo nucum atque ignis ope liqueſcit et molleſcit, nunquam autem priſtinam ſoliditatem et inſignem, qua pollet, elaſticitatem iterum recuperat. Inuenerunt tamen Cl. HERISSANT et MACQUER, eam ita ſolui aut emolliri, vt poſt ſolutionem elaſtica iterum fiat, variaque ex ea parari poſſint vtenſilia, ſi oleo animali DIPPELII vel oleo cornu cerui rectificato immittitur, et maſſa mollis poſtea fumo fuliginis vel foeni exponitur. Idem hoc oleo therebinthinae, calcis

*) V. c. in Hiſt. de l'Acad. Royal. 1753. p. 128. vid. Com. noſtr. Vol. VII. p. 253.

**) Vid. Hiſt. de l'Acad. 1751. p. 17. et Com. noſtr. Vol. VI. p. 55.

***) Fructus eius tricoccus eſt, fructui ricini ſimilis, ſed multo maior, vid. CONDAMINE l. c.

ope rectificato, obtinetur, et ſufficit, ſi vel vapores tantum dictorum menſtruorum eam penetrent. Signum vero, illos ſatis eam penetraſſe, eſt, ſi reſina intumeſcit et ſplendida quaſi fit. Camphorae quoque vapores, et aether vitrioli idem praeſtant. Cum itaque corpus hoc tam multis menſtruis cedat, illud omnino ad varios vſus adhiberi, inprimis vero ad catheteres flexiles, ex eo parandos, vtiliſſimum eſſe, Cl. HÉRISSANT eſt obſeruatio.

p. 52. *Obſeruationes botanicae* ſequentes ſunt. 1. Ill. CERATI Acad. Piſan. Praeſes retulit, geniſtae quandam ſpeciem *) macerando in aqua thermali corticis parenchyma filamentoſum ſeu potius librum dicendum exhibere; etſi vero telae inde praeparatae rudiores ſint, cum cannabinis et linteis non comparandae, forte tamen praeparatione vlteriori meliores fieri poſſe ſperat. 2. Ill. LINNAEUS, litteris ad Ill. DU HAMEL datis, refert, ſe viuam plantam Chinenſem Theam **) in hibernaculo colere, ſperare etiam eandem multiplicari poſſe, frigoriqueſiſtere, vti ſyringa. 3. Secalis ſemina morboſa, craſſa, cornuta, violacea reddi, et a Gallis, quod criſtae galli aliquo modo ſimiles ſunt, *ergot* dici, graviſſimamque morborum variorum cauſſam eſſe, et omnibus notum, et a nobis paſſim declaratum eſt***); nunc autem Cl. TILLET obſeruauit, et hordei ſemina morboſa ſaepe hac mutatione affici.

p. 1. Inter commentarios primum locum tenet 1.) *de docimaſia maſſularum, ex auro argentoue confectarum*, diſſertatio Auctoribus Cl. HELLOTO, MACQUER et

T. II.

*) Speciem non definit, forte eſt ſpartium ſcoparia.

**) Vid. Ill. LINNAEI Diſſ. de Thea Vpſaliae 1765, quam proxime in amoenit. Acad. Vol. VII. indicabimus.

***) Vid. indicem Dec. I. Comment. noſtr. ſub voce *Ergot* et Vol. XII. p. 554. XIII. p. 481. XV. p. 65.

TILLET. Iam alio loco Cll. hi viri demonſtrarunt *), ſub cupellatione plumbum, in lithargyrium mutatum, ſorbere aliquid metalli nobilioris, illudque in cupellarum poros fundere; hinc detrahi hanc particulam toti maſſae, multis additis experimentis, probarunt; hisque variorum celebrium chemicorum ſententiam, qui hanc argenti in reducto plumbo praeſentiam, pro vera plumbi in argentum transmutatione habuerunt, infringi et prorſus labefactari ſtatuunt. Addunt in hac eiusdem argumenti vlteriori tractatione regulas, quibus hoc incommodum, in re monetaria omnino noxium, vitari queat; docentque tam materiem, quam formam, quin imo magnitudinem cupellarum, cuiuis temperaturae argenti eſſe accommodandam, et praeterea ignis gradum probe eſſe attendendum, qui, ſi ſub ipſa operatione nimius fuerit, omnino huic argenti reſorptioni fauere ſolet.

2.) *Meditationes de orbitis nonnullorum cometarum.* Auctore Cl. PINGRÉ. p. 15.

3.) *Diſſertatio de epochis motuum lunae circa finem ſeculi praeteriti* conſcripta a Cl. BAILLY. p. 19.

4.) *Commentarius de argenti ſub cupellatione apparenter auctо pondere, et de vero ponderis augmento plumbi in lithargyrium mutati.* Auctore Cl. TILLET. p. 38. Quod iam alii chemici ſub ipſa cupellationis operatione accreſcere animaduerterunt pondus argento puriſſimo; illud et Cl. TILLET obſeruavit, et ſeptem octauas grani partes aequare affirmat. Hoc ponderis augmentum, quiuis fere huc vſque plumbo adſcripſit, quod vt plurimum aliquid argenti continet. Accuratius tamen cum in hoc phaenomenon inquiſiuerit Cl. Auctor, plumbumque ſum-

*) Vid. Mem. de l'Acad. des ſcienc. 1760. p. 362. Comment. noſtror. Vol. XIV. p. 599. et Mem. de l'Acad. 1762. p. 10. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 454.

ſerit absque fere vlla argenti miſcela ſatis purum, vidit tandem hoc dictum ponderis incrementum non verum, ſed apparens tantum eſſe, et ab adhaerente in fundo lithargyrii lamella effici, quam cum noua cupellatione ſeparauerit, nullum argento pondus accreuiſſe obſeruauit. Ipſum vero plumbi, in lithargyrium mutati, pondus vere augeri, omnibus, quas hac de re inſtituit, experimentis comprobatum vidit; neque tamen huius miri phaenomeni rationem addere valet, in poſterum in hanc rem vlterius rimaturus.

p. 65. 5.) *Commentarius de ſpecie quadam lapidum, quam ſalinos lapides vocant* (Salieres). Auctore Cl. GUETTARD. Inueniuntur in luto, ex quo lateres ſolent formari prope *d'Etampes*, variisque aliis in locis, lapilli fabricae granulatae, quorum materies, quamuis argillacea, multis tamen granulis micantibus referta deprehenditur, vt ex ſale formati videantur, hinc nomen, ſupra adductum, ipſis impoſitum fuit. Haec maſſa micans efferueſcit et plane ſoluitur in acidis, in igne in calcem fatiſcit. Videtur igitur ex calcarea terra argillae, in qua latitant, genita, et cryſtalliſata eſſe. Alii eorum globulos formant, quorum quidam intus caui, et nitidis calcareis cryſtallis repleti inueniuntur. Multus eſt, pro more ſuo, in deſcribendis his lapidibus Cl. GUETTARD, qui tamen nobis vix tantam attentionem mereri videntur, cum fere vbique concretiones eiusmodi reperiantur. Addit tandem deſcriptionem alius cuiusdam ſpeciei horum lapillulorum, quae iis, quas fuſe alio loco iam deſcripſit *) et a mineralogis *Granitae* et ab Anglis *Pudding ſtone* dicuntur, quam maxime ſimilis eſſe videtur.

6.) *Ob-*

*) Vid. Mem. de l'Acad. des Scienc. 1753. p. 63. et 139. Comm. noſtr. Vol. VII. p. 263. et 265.

6.) *Obſeruationes Saturni et Iouis Vraniburgi* p. 85.
1593 *a* TYCHONE DE BRAHE *factae, cum calculo illarum, quae omnium maxime ſunt proficuae.* Auctore Cl. JEAURAT.

7.) *Diſſertatio prima de theoria ſatellitum Iouis.* p. 121.
Auctore Cl. BAILLY.

8.) *Obſeruationum mineralogicarum, in Gallia et* p. 137.
Germania factarum, pars prior, Auctore Cl. GUETTARD. Cl. Auctor in itinere Polonico varias in regionibus, per quas tranſiit, obſeruationes fecit ad mineralogiam ſpectantes, quarum prior pars, hic publicata, eas, quae Pariſias relinquens, Argentoratum uſque in variis Galliae prouinciis inſtituit, continet. Tranſiit autem Antiſſiodorum (*Auxerre*) Diuionum (*Dijon*) et Lotharingiae metropolin Nanceium. Plurimae harum obſeruationum ad tabulam mineralogicam Galliae, olim ab eo publicatam *) pertinent. Vix tamen putamus, eiusmodi obſeruationes, fugitiuo oculo in curru nonnunquam inſtitutas, ad oryctologiam regionis cuiusdam cognoſcendam, aut locum in mappa mineralogica eidem regioni adſignandum ſufficere; quod inprimis ea probant, quae in ſecunda commentatione, qua Germaniae partem Cl. Auctor deſcribit, adferuntur. In hoc itinerario Cel. GUETTARD, praecipua attentione nobis dignae viſae ſunt, deſcriptio loci, vbi in Lotharingia Moſa (*la Meuſe*) ſub terra abſconditur, atque de- p. 153.
ſcriptiones ſalinarum prope *Chateauſalins* et *la* p. 158.
Dieuze.

9.) *Hiſtoria morbi epidemici in pago Bernenſi* an- p. 167.
no 1762 graſſantis, Auctore Ill. HALLERO, de qua ſuperius iam, praecipua contenta nouae editionis *opuſculorum pathologicorum* Ill. Auctoris indican-

*) Vid. Memoir. de l'Acad. des ſcienc. ann. 1746. p. 363. Comment. noſtror. Vol. I. p. 298.

tes, quae vltimo tomo *operum minorum anatomici argumenti* inſerta eſt, ad Lectores retulimus *).

p. 172. 10.) *Diſſertatio ſecunda de theoria ſatellitum Iouis*, Auctore Cl. BAILLY.

p. 190. 11.) *Diſquiſitio de inclinatione orbitae tertii ſatellitis Iouis*, Auctore Cl. MARALDI.

p. 192. 12.) *Obſeruatio eclipſis ſecundi ſatellitis Iouis* d. 4. ſeptembr. 1763. tempor. matut. *facta*, a Cl. MARALDI.

p. 193. 13.) *Obſeruationum mineralogicarum, in Gallia et Germania factarum*, pars poſterior, Auctore Cl. GUETTARD. Per Sueuiam et Bauariam Cl. Auctor Viennam profectus eſt. Inſerta eſt deſcriptio fodinarum ſalis gemmae Salisburgenſium elegans, omnique fide digna, cum Cl. Auctore a Cl. BUAT communicata. Varia quoque muſea Viennenſia deſcribuntur, atque in figuris adiectis ſtellae marinae ſpecies, ſtrobilus pini, in pyritidem mutatus, quem Ill. DE MOLL Viennae poſſidet, et variae ſpecies lapidum Iudaicorum delineantur. Annexa etiam eſt mappa geographica itineris Cl. Auctoris per Galliam et Germaniam, in qua ſoli terraeque natura ſimul quoque indicantur.

p. 229. 14.) *Diſſertatio de cometa* anno 1762 *viſo*, Auctore Cl. BAILLY.

p. 235. 15.) *Commentarius de vaporibus inflammabilibus in puteis carbonum foſſilium prope Brigantium* (Briançon), Auctoribus Cl. DU HAMEL, HELLOT et DE MONTIGNY. Cum varii foſſorum his vaporibus candela admota incenſis laederentur, in cauſam huius rei inquirere iuſſit viros dictos rex Galliae. Quam cum inueniri putarint in pyritarum praeſentia **), hinc eam prorſus remoueri ex his puteis

*) Vid. ſuperius p. 440.

**) Ex particulis potius bituminoſis, in aëre ſuſpenſis, vapores hos inflammabiles in lithanthracum fodinis obvios

puteis non poſſe viderint; circulationem motumque aëris in cryptis iſtis ſubterraneis, vel cuniculis foraminibusque quae ſpiritum ſuppeditent (*Windloecher*) exſtructis; vel ſi talia addi puteis ob varias difficultates nequeant, ignis ope eſſe promouendum exiſtimarunt, ne nociui tales vapores in cryptis iſtis ſubterraneis colligantur.

16.) *Obſeruationes oppoſitionum Saturni ac Iouis* p. 241. *ann. 1755, 1756, 1757, 1758 et 1759, et Iouis per quatuor proxime vltimo loco nominatos annos, vna cum talculis earum cum tabulis* HALLEYI *comparatis*, Auctore Cl. JEAURAT.

17.) Continuatio harum obſeruationum 1760, p. 252. 1761, 1762, Auctore EODEM.

18.) *Commentarius de primaria cauſſa alternae* p. 260. *turgeſcentiae venarum iugularium, facialium et cauarum, ſinusque illarum, diuerſae ab ea, quae a contractione auriculae cordis dextrae producitur.* Auctore Cl. BERTIN. Praeter illos vſus reſpirationis, quorum cognitio neminem fugit, reſtant adhuc alii, ex quibus huius actionis efficacia, in ſanguine ad cor deferendo, vel retardando, vel accelerando, conſpicua, non vltimus eſt. Patet autem haec efficacia non modo ex turgeſcentia vaſorum venoſorum in inſpiratione et exſpiratione, ſed et ex ſymptomatibus et noxis, quae ex nimis protracta inſpiratione in vitam humanam redundant, fuſius ab Auctore Cel. hic recenſitis. Plerique phyſiologorum aërem, in inſpiratione veſiculas pulmonales diſtendentem, indeque ortam vaſorum compreſſionem, nec non collapſum veſiculorum in exſpiratione, horum phaenomeno-

vios rectius deriuat WALLERIUS elem. min. verſ. germ. p. 259. Differunt hi vapores a vaporibus ſuffocantibus arſenicalibus, quibus etiam hae ſodinae infeſtari ſolent. Conf. Cl. TRIEWALD in Act. Acad. Sueic. a. 1740. p. 379. ſeq.

rum cauſſam eſſe aſſeruerunt; quibus nullo quidem modo aduerſatur Cel. BERTINUS, qui tantum, etſi nihil impedimenti circulo ſanguinis per pulmones oppoſitum fuerit, tamen eiusmodi intumeſcentiam ramorum venae cauae, produci poſſe ex compreſſione venarum hepaticarum a diaphragmatis deſcenſu et muſculorum abdominalium contractione in reſpiratione demonſtrare annititur. Quod vt fiat, ab anatomica venarum hepaticarum deſcriptione incipiens, contra Ill. HALLERUM*) monet, ramos venae cauae hepaticos, nec pauciores, nec minores eſſe venae portarum ramis, neque ſanguinis velocitatem, quae in venis hepaticis ex caua oriundis maior, quam in ramis venae portae deprehenditur, ex magnitudinis differentia, ſed multo commodius et conuenientius ex impulſu arteriarum hepaticarum, ramis ſuis in venarum principia
p. 273. hiantium, explicari poſſe. WINSLOVIUS vero a Noſtro taxatur, quod ramos minores harum venarum ad maiores venae portarum propagines pertinere ſcripſerit**), cum tamen omnes venae cauae ramos cum arteriis hepaticis et venae portae ſyſtemate anaſtomoſin pati, anatome doceat. Addit BERTINUS errorem, qui WINSLOVIO, de valvula praefixa ſingulis orificiis venarum hepaticarum, in venam cauam hiantium, agenti, a nonnullis imputatur, nullum eſſe, cum de ea non vt de vera valuula, ſanguinis in iſtas venas regreſſum prohibente, loquatur.

p. 276. His praemiſſis, Cel. Auctor in cauſſas, quae turgeſcentiam ramorum venae cauae producunt, ipſas inquirit, quam cum omnes phyſiologi ab obſtaculo, ſanguini in pulmonibus in exſpiratione vel inſpiratione

*) Vid. prim. lin. §. 697.

**) Nobis tamen WINSLOVIUS excuſandus videtur, cum dubius tantum ea de re loquatur Traité des Veines. §. 147.

tione protracta oppoſito, deduxerint, primus fuit BERTINUS, qui eandem a compreſſione venarum hepaticarum a diaphragmate et muſculis abdominalibus explicandam eſſe aſſereret. Talem autem venarum hepaticarum motum alternum in qualicunque reſpiratione fieri, patet ex eo, quod idem in reſpiratione vehementiori obſeruetur. Haec enim, cum a placidiore reſpiratione gradu tantum differat, ideoque cauſſa, quae in illa vaſa turgida reddat, in hac quoque deeſſe non poſſit, ſequitur, etiam in leniore reſpiratione, vaſorum ſaltem maiorum, quamvis minus conſpicuam, veram tamen intumeſcentiam dari. Cauſſa vero huius phaenomeni a preſſione aëris in vaſa pulmonalia in inſpiratione, atque coſtarum et diaphragmatis in exſpiratione, plane diuerſa eſt, quum aër vaſa quidem pulmonum comprimere poſſit, maiorum autem venarum diſtenſionem producere nullo modo valeat. Sanguis enim, in ramis pulmonum vltimis ſtagnans, vix impedit, quo minus ventriculus anterior euacuetur, cum ramorum arteriae pulmonalis diametri maxime dilatari poſſint. Nec vlla in propaginibus venae cauae ab exſpiratione vel inſpiratione admodum protracta conſpicitur intumeſcentia, niſi ſimul diaphragma et abdominis muſculi in actionem ducantur; his vero conſpirantibus, mox venae turgeſcunt. Praeterea cum diaphragma in inſpiratione deſcenſu ſuo vaſa abdominalia maiori vi comprimat, quam muſculi abdominales in exſpiratione id efficere valent, patet, vaſorum turgeſcentiam in inſpiratione naturali maiorem, quam in exſpiratione naturali eſſe debere. Attamen quotiescunque lenem inſpirationem operoſior exſpiratio ſequitur, tumorem quoque venarum in exſpiratione augeri facile perſpicitur. Trunci quoque venarum hepaticarum, quae BERTINO *ſinus intra hepatica* audiunt, fluxum aliquem et refluxum

ſan-

ſanguinis oſtendunt, quum ille in inſpiratione copioſius in venam cauam intret, in ſequenti vero exſpiratione ex hac vena in truncos venarum hepaticarum refluat, ex quo ſimul efficitur, plus ſanguinis in inſpiratione, quam in exſpiratione ad cor ferri, licet huius rei indicium in pulſu nullum ſit. Non ſolum enim turgeſcentia ramorum venae cauae ſufficienter probat, ſanguinem tunc maiori in copia ad cor determinari, ſed facile etiam intelligitur eundem, preſſum a diaphragmate in inſpiratione deſcendente, regreſſuque, a ſanguine, qui ex arteriis hepaticis minoribus accedit, impedito, aliam viam, inprimis ſi, vt ſaepius fit, muſculi abdominales conſpirant, ſequi, atque ex hac cauſſa venam cauam intrare.

p. 284. Eſt, praeter hunc motum venarum, qui a reſpiratione efficitur, alius in venis cauis pone cor conſpicuus, ab alterno auricularum motu et contractione fibrarum muſcularium harum venarum pendens, ita comparatus, vt trunci cauarum contrahantur, auricula in diaſtole verſante, expandantur in huius ſyſtole. Cum vero Ill. HALLERUS in experimentis ſuis obſeruauerit, in inſpiratione euacuari venas cavas, BERTINUS vero idem in exſpiratione fieri aſſerat, huius diſcriminis cauſſam Noſter ponit in eo, quod, cum HALLERUS ſuas obſeruationes in animalibus viuis inciſis fecerit, contractio muſculorum abdominis, ab irritatione per vulnus orta, diverſum plane experimenti exitum effecerit *). Venarum

*) Ill. HALLERUS triplicem alternum motum venarum maiorum diſtinguit 1) *pulſum venae cauae*, qui ab eius vi contractili innata pendet et ſynchronus ventriculi motui eſt, atque in toto pectore et inferius ad hepar vſque obſeruatur. Augetur haec venarum maiorum intumeſcentia a ſanguine, ex auricula anteriore in venam cauam refluente, inprimis ſi ſanguinis tranſitus, per reliquas cordis cauitates aut pul-

narum vero hepaticarum truncos, ſanguinem, nimis p. 287.
magna in copia ad auriculam anteriorem in variis violentioribus corporis motibus properantem, recipere poſſe, ex comparatione inter eas et venae portarum ramos inſtituta, quibus multo longiores ſunt, patet.

His diſputatis, Cel. Auctor, obiectiones varias, p. 289.
quas ſibi oppoſitas iri putat, removere ſtudet, additque conſectaria, in quibus ea, quae hic propoſita fuerunt, ad praxin medicam, adplicantur. Qualia ſunt: iis, qui v. c. a venaeſectione vel haemorrhagiam paſſi, lipothymia ſe corripi ſentiunt, ad eam euitandam crebriores et fortiores inſpirationes conducere, quia per eas circulum ſanguinis citatiorem reddunt; aquam frigidam, eiusmodi aegrotis inſperſam, odoramenta, ſternutatoria, vomitoria, clyſmata, omniaque alia, quae motum muſculorum abdominalium excitant eos reficere debere; melancholicos riſu et ſuſpiriis leuari, quippe quae eadem praeſtant cum inſpirationes grauiores ſint; cephalalgiam

pulmones, quodammodo obſtructus eſt (vid. *Elem. Phyſ.* T. I. p. 399. et T. II. p. 336.) 2) *refluxum ſanguinis a reſpiratione* oriundum, quem in exſpiratione fieri aſſerit (vid. Cl. WALSDORFF diſſ. *experimenta circa motum cerebri* ſiſtens Gotting. 1752. et Comm. noſtr. Vol. III. p. 105. *Hiſt. de l'Acad. des ſcienc.* 1753. p. 136. et Comm. noſtr. Vol. VII. p. 255. *Comment. Gottingenſ.* Vol. II. p. 127. et Comm. noſtr. Vol. II. p. 698. nec non *Elem. Phyſ.* T. II. p. 332.) cum in inſpiratione venas maiores turgere BERTINUS hic proponat. Idem tamen hoc Cl. RADNICZKY in diſſ. Pragae 1756. edita iam aſſeruiſſe ex *Elem. Phyſ.* T. II. p. 334. patet. 3) *diaphragmatis in venam cauam inferiorem imperium*, quam venam in deſcenſu huius muſculi conſtringi et inaniri atque contra renes deduci et explanari HALLERUS vidit. In vniuerſum de motu ſanguinis, per reſpirationem mutato, conferri adhuc meretur Ill. HALLERUS in Elem. Phyſ. T. III. p. 297. et p. 361.

lalgiam tuſſi augeri; ſingultum ſanguinem ad caput determinare; tuſſim omnemque organorum, quae reſpirationi inſeruiunt, motum vehementiorem, iis, quibus apoplexia imminet, nocere; alui ſubductionem, aut ſanguinis ex venis abdominalibus profluxum, qualis per lochia, menſes, atque hirudinum ad vaſa haemorrhoidalia applicationem fit, reuulſionem a capite ſatis ſubitaneam nonnunquam producere; in haemoptyſi aliisque haemorrhagiis ab omnibus violentis muſculorum abdominalium motibus noxam aegrotis inferri; a tuſſi, ſternutatione, vomitu, etc. iis, qui hepatis obſtructione laborant, rupturae vaſorum, inprimis venae portae, periculum imminere; idem quoque in ſimilibus aegris ex nimia ventriculi repletione prouenire poſſe; tandemque omnes motus validiores, et incitatiorem reſpirationem grauidis maxime obeſſe.

p. 294. In fine vim, qua organa exſpirationis in ſanguinem venae portarum agunt, aequalem facit vi, qua per eadem organa aër ſub exſpiratione e trachea propellitur, quae globulum ponderis drachmae vnius 363′ valet propellere, vt tertiam fere partem virium, quae atmoſphaerae tribuuntur, aequare videatur. Vis autem inſpirationis, per abdominales muſculos conſpirantes aucta, exſpirationis vi aequalis eſt. Quae enim in illa deſideratur vis, a cartilaginum et ligamentorum elaſticitate et muſcularium fibrarum in bronchiis actione pendens, in exſpiratione ſe oſtendens, preſſione diaphragmatis, in inſpiratione deſcendentis, compenſatur. Quo vero portarum vena ad preſſiones adeo validas, vi, qua ſanguis in arterias agit, non minores, ſuſtinendas apta ſit, natura eam celluloſo contextu donauit, qui cum eius ramis in hepate diſtribuitur, nomineque capſulae GLISSONII inſignitur, venamque portae eiusque ramos vbique inuoluit.

19.) *Diſ-*

19.) *Dissertatio de prolongatione perpendicularis seu paralleli Parisiensis vsque Viennam in Austria.* Auctore Cl. CASSINI DE THURY. p. 299.

20.) *Descriptio nouae machinae destinatae ad ponderanda et simul transferenda ex fluuiis in portus et ex portubus in fluuios onera*, Auctore Cl. VAUCANSON. p. 326.

21.) *Meditationes in eclipsin solarem* d. 1. apr. 1764. *obseruatam* a Cl. LE MONNIER. p. 332.

22.) *Dissertatio de mutatione caminorum in eiusmodi fornaces, vt aeque ac camini accepti sint*, Auctore Cl. DE MONTALEMBERT. Explicationem figurarum vide p. 438. p. 335.

23.) *Dissertatio de differentia, quae inter triangula rectilinea ac triangula sphaerica admodum exigua consideranda venit*, Auctore Cl. DE LA LANDE. p. 347.

24.) *Disquisitio de nonnullis transitus Veneris per discum solarem* d. 6. iunii 1761. *obseruationibus in regionibus vltra aequatorem sitis factis, ac de commodis, quae ex iis ad determinandam parallaxin solis deriuari possunt*, Auctore Cl. PINGRE'. p. 354.

25.) *Experimenta de resistentia fluidorum*, Auctore Cl. DE BORDA. p. 358.

26.) *Dissertatio tertia de theoria satellitum Iouis*, Auctore Cl. BAILLY. p. 377.

27.) *Obseruationes botanico meteorologicae in arce Denainvilliers ad annum* 1762, Auctore Cl. DU HAMEL. In his obseruationibus tabulae singulorum mensium exhibentur, in quibus obseruationes thermometri et barometri, nec non vicissitudines tempestatum declarantur, ex quibus semper in pagina opposita obseruationes generales deducuntur, postea prouentus regni vegetabilis et animalis et morbi hominum et brutorum animantium breuiter indicantur. p. 385.

28.) *Commentarius de differentia, quae ex figura Iouis sphaeroidea in dimidia eclipsium satellitum eius duratione oritur*, Auctore Cl. DE LA LANDE. p. 413.

29.) *Dis-*

p. 420. 29.) *Dissertatio de nouo axium rotarum in horologiis simplicibus situ et combinatione, vnde plura his commoda conciliari possunt*, Auctore Cl. LE ROY.

p. 426. 30.) *Noua methodus computandi eclipses solares deducendique inde longitudines geographicas in hypothesi terrae sphaeroideae, cum nouis adnotationibus de vsu proiectionum simpliciore reddendo*, Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 441. 31.) *Commentarius de salinis Pecarienſibus* (Pecais) Auctore Cl. MONTET. Alio loco iam descriptionem harum salinarum a Cl. MATTE exaratam, indicauimus *). Sunt vero lacus salsi in Languedocia inferiore siti, in quos aqua marina immittitur, saleque in fundo horum lacuum iam existente magis impraegnatur. Ex his lacubus aqua emittitur, et sine igne crystallisatur per atmosphaerae et solis calorem. Amarum est in principio et acre odoremque violaceum habet, hinc post aliquot demum annos venditur. Sal enim mirabile et sal basi terrea, quae hanc amaritiem et acrimoniam producunt, cum a longe minore aquae copia solui possint, quam sal commune, ab aqua, adhuc post exsiccationem in salis massis relicta, soluuntur, sicque massa perfecte purificatur.

*) Vid. *Mem. de l'Acad. de Montpellier.* Vol. I. p. 286. Comment. nostr. Vol. XV. p. 214.

XIV.

Traité des eaux minerales avec pluſieurs memoires de chymie relatifs à cet objet. Par Mr. MONNET de la ſocieté Royale de Turin, et de l'Academie Royale des ſciences, arts et belles lettres de Rouen. à Paris chez P. Fr. Didot le jeune 1768. 12. pl. 15. ſine praefatione.

i. e.

Tractatus de aquis mineralibus, vna cum pluribus commentariis chemicis illuc ſpectantibus.

Ipſi tractatui Cl. MONNET *diſſertationem hiſtoricam de aquis mineralibus* praemittit, quae loco praefationis ſeruire debet. In hac recenſet nonnullos ſcriptores, qui in Gallia, Germania et Anglia aquas minerales pertractarunt, quorum tamen labores Illi non omnimode placent. Perhibet enim poſt Cl. BOULDUC, in Gallia quidem, pauca tantummodo exempla bonae analyſeos aquarum mineralium prodiiſſe: excipit tamen eam, quam Cl. LE ROI, Profeſſor Monſpelienſis, de aquis Balarucenſibus in *Commentariis Atadem. Scientiar. Pariſienſ.* publicavit. Nunc autem ad examen aquarum mineralium regni Gallici denominatus eſt Cl. VENEL, a cuius facultatibus Cl. Auctor ſibi multum pollicetur, licet ille ſuum tractatum de aquis mineralibus, anno ſcilicet 1767, quo Cl. MONNET ſcripſit, nondum ediderit. Communicauit tamen cum Academia Regia Scientiarum duos commentarios de aquis mineralibus, qui in ſecundo Volumine *Commentariorum eruditorum extraneorum* leguntur, et ſecundum Cl. Auctorem omnem merentur laudem.

His praemiſſis, Cl. MONNET aquas minerales in tres diuidit claſſes, in ſulphureas, alcalinas et ferrugineas *): licet compoſitae inueniantur aquae, quae de tribus his principiis, vel de duobus participent et vlteriorem locum dent ſubdiuiſioni. Accedit ad tractatum ipſum, qui *tria* capita continet. *Primum* caput agit de aquis mineralibus ferrugineis. Contendit Cl. Auctor, priores examinatores fuiſſe in ea opinione, omnes aquas ferrugineas eſſe ſimul vitriolicas. Quum vero hoc falſum ſit, paucaeque reperiantur aquae vitriolicae, aquas mi-
p. 8. nerales ferrugineas diuidit in vitriolicas et in ferrugineas proprie ſic dictas. Summa diſputationis ad id redit, quod plurimi crediderunt, ferrum non eſſe ſolubile, niſi ope acidi vitriolici. Hoc quum Cl. Auctor neget, probare annititur, ferrum poſſe ſolui in aqua ſimplici ſine alterius medii acceſſu. Vt hoc euincat, prouocat ad vulgarem et omnibus notam experientiam, qua ferrum in aere humido rubiginem breui contrahat, ideoque ab aqua ſoluatur. Cui accedat, quod aqua ſimplex, cui ferrum per aliquod tempus immerſum fuerit, particulas continet
p. 13. ferreas, quas indicet non ſolum ſapor ferrugineus huius aquae, ſed etiam eius color purpureus, qui oriatur, ſi gallarum nuces cum hac aqua miſceantur. Interea non negat, ferrum difficillime ab aqua ſolui et experimentum non ſemper ſuccedere: cuius rationem quaerit in maiore vel minore quantitate inflammabilis, quod phlogiſton vocant et quo ferrum abundare debet, quod ad experimentum adhi-
p. 16. betur. Deinde etiam aliquid conferre calorem putat Cl. Auctor, quo minus ferrum in aqua ſoluatur, quia aquae minerales calefactae ſolutum ferrum rurſus

*) *Ferrugineuſes* appellat Cl. Auctor aquas, vulgo martiales dictas, quae, vti PLINIUS ait, ferruginei ſunt ſaporis.

ſus labi ſinant. Inde concludit, nullas poſſe eſſe thermas ferrugineas, ſeu ferro ditatas. Reſpondet p. 24.
hac occaſione et illis, qui colorem viridem, qui oritur, dum eiusmodi aquae cum ſyrupo violarum miſcentur, a vitriolo ferri deriuare volunt, quum ſecundum Cl. Auctorem a ſolo ferro proueniat. Omnes igitur aquas minerales ferrugineas, quae ſta- p. 26.
tim, ac calori exponuntur, ferrum deponunt, non perfectum continere ferrum, ſed ochram et ſic contra, Cl. MONNET arbitratur. Tandem affirmat, p. 32.
eas aquas minerales, quae admixtione lixiuii illius alcalini, quod ad confectionem coerulei Pruſſici adhibetur, nullum colorem manifeſtant coeruleum, pro ferrugineis eſſe habendas: illas vero, quae talem colorem exhibent, pro vitriolicis. Huius apparitionis rationem ex regulis affinitatis, vti chemici vocant, reddere ſtudet. Dicit enim, acidum vitriolicum, quo aquae vitriolicae abundant, ſal alcali fixum aggredi; deinde, partes tingentes coeruleas, libere factas, praecipitari et cum ferreis particulis, pariter ab acido liberatis, vniri. Quae, quum cauſa haec in ferrugineis aquis abſit, ita non euenire poſſent. Quum hae opiniones et explicationes multum veriſimilitudinis habeant, vt ab aquarum mineralium ſcrutatoribus examinentur accuratius, omnino merentur.

Porro diſtinguit aquas ferrugineas in ſpirituoſas p. 35.
et non ſpirituoſas *): has frequentius reperiri perhibet, quam illas. Tranſit ad vitriolicas ferrugi- p. 37.
neas, quas minus frequentes eſſe aſſerit, quam plerumque creditur. Nullas nouit in tota Gallia, quam aquas *Paſſy*. Quamuis vitriolum in aquis vitriolicis non queat ſiſti forma, in cryſtallos redacta, quia

*) Ad hanc claſſem pertinere videntur aquae Steckni-cenſes, nuper in Bohemia repertae, quarum mentionem fecimus in Comment. Vol. XV. P. I. p. 91.

materia ſalina peregrina ſimul coniuncta eſt, quae cryſtalliſationem, vt aiunt, impedit: tamen ſecundum Cl. Auctorem in illis continetur, quod in ſequentibus probauit. Dantur tamen quoque aquae vitriolicae, quae loco vitrioli reſiduum vitriolicum exhibent, quod extracto, vel potius lixiuio ſimile eſt, et a chemicis *aqua mater vitrioli*, (*eau-mere vitriolique*) appellatur. Ad detegendas aquas minerales vitriolicas praeter ſupra additum experimentum, cum lixiuio alcalino inſtituendum, alium compendioſiorem indicat modum, qui in eo conſiſtit, quod charta coerulea immerſa aquis vitriolicis rubicundum acquirat colorem.

p. 41. In capite *ſecundo* Cl. MONNET aquas alcalinas examinat, quarum duae ſunt ſpecies, vel alcali minerali, vel fixo dotatae. Alcalinae omnes ſe produnt ſapore et ebullitione, efferueſcentiam aiunt, cum acidis. Accidere tamen interdum poteſt, vt alcali minerale non in tali contineatur quantitate in aquis alcalinis, vt ebullitionem producere queat, tunc Cl. Auctor ſalem, baſin terream habentem, quem vulgo oleum calcis appellant, aquis examinandis, immittit et ſtatim alcali minerale per deiectionem, praecipitationem chemici dicunt, ſe manifeſtat. Hae aquae plerumque multa terra abſorbente commixtae ſunt.

p. 46. Alcali minerale duplici forma in aquis alcalinis inuenitur, vel pura et cryſtallos dante, vel lixiui inſtar.

p. 53. Aquae minerales, quae alcali fixum, quale praebent vegetabilia, continent, rariores ſunt illis, quae minerale. Attamen tales dari Cl. Auctor aſſerit, et in aquis Spadanis ſe eiusmodi alcali vegetabile reperiſſe perhibet.

p. 55. Aquis alcalinis ſuccedunt aquae ſulphureae, quas in capite *tertio* pertractat. Sulphureae ſunt, quae

quae odorem hepatis ſulphuris ſpargunt et argentum purum nigro colore obfuſcant. Interea admodum rarae ſunt illae aquae, quae verum hepar ſulphuris exhibent et additione acidi verum ſulphur labi ſinunt. Valde igitur difficile, imo impoſſibile plerumque eſt, ſulphur acquirere ex iſtis aquis, quae tamen ſulphureae audiunt. Quare Cl. Auctor recte diſtinguit aquas, quae tantum vaporem edunt hepatis ſulphuris, ab illis, quae verum praebent ſulphur. Vapor autem ſolus non ſufficit ad praeſentiam ſulphuris cognoſcendam. Indicat tantummodo veſtigia ſulphuris, vel ſulphur deſtructum et de huius partibus componentibus adhuc quasdam reſtare. p. 58.

Sequuntur nonnulli commentarii et diſſertationes de quibusdam aquis mineralibus. Primum locum occupat *diſſertatio de optima methodo aquas minerales examinandi.* Reiectis inutilibus, quae multi adhibent, experimentis, aquas minerales explorandi, ſumme neceſſaria adducit. Primum contemplandus eſt color aquae, deinde examinandus eius odor et ſapor; poſt ei affundendae ſunt diuerſae ſolutiones et admiſcenda diuerſa ſalia, prout has vel illas partes in ei contentas ſuſpicamur; e. g. infuſio gallarum Turcicarum; lixiuium alcalinum ad detegendum coeruleum Berolinenſe paratum; ſal cum baſi terrea coniunctus, vti oleum calcis; alcali fixum; ſpiritus minerales acidi; ſolutio mercurii; ſolutio argenti; et quae ſunt reliqua; tunc decoquendae ſunt aquae per diuerſos gradus; tandem reſiduae partes examinandae. Multa hic repetuntur, quae in praecedentibus tribus capitibus iam protulit. Procedit ad analyſin nonnullarum aquarum mineralium, quas ſecundum praemiſſas regulas explorat. p. 71. p. 107. Primum exemplum dant aquae *de Bard en Auvergne:* ſecundum aquae *d'Aumale*, et *de Rouen;* quas p. 125. p. 129. ferrugineis accenſet; tertium aquae Aquisgranen- p. 132. ſes,

ſes, quas ſulphureis adſcribit; quartum aquae Spa-
p. 149. danae, praeſertim *Pouhont*, quas ſpirituoſis, quae multum *Gas* continent, adnumerat: quintum aquae
p. 167. ex fodinis carbonum foſſilium *de Littry* in Norman-
p. 175. nia inferiore prouenientes; et ſextum, aquae *de Paſſy*, hodie celebres ſub nomine trium fontium *de Mr. le Veillard*, quas ambas ad vitriolicas refert Cl. Au-
p. 214. ctor. Vltimae analyſi aquarum *de Paſſy* accedit ſingularis *appendix*, quae tertio fonti dicata eſt, quem Cl. Auctor ratione partium conſtitutiuarum omnino diuerſum a reliquis duobus reperit.

p. 221. Has analyſes excipit *commentarius de proprietate, quam habet vitriolum martiale ingrediendi generationem, formationem dicunt, cryſtallorum quorundam ſalium.* Vt melius intelligatur hic commentarius neceſſe eſt, vt repetamus ex praecedenti analyſi aquarum mineralium *de Paſſy* experimentum, quod fecit Cl. Auctor, dum infudit ſolutionem alcali fixi in modo dictas aquas minerales. Obtinuit enim praecipitatum, vt aiunt, virideſcens, intime combinatum cum ſale quodam medio, cum baſi terrea compoſito, quale acquiritur ex ſolutione vitrioli martis, et ſolutione ſupra memorati ſalis *Epſom* commixta, dum cum alcali fixo praecipitatur. Hoc praecipitatum neque poteſt in cryſtallos redigi, neque eius partes componentes ob earum intimam combinationem per reagentia disiungi et ſeorſim ſisti, quod tamen in aliis ſimilibus compoſitionibus admodum poſſibile eſt. De hoc mixto ſtatuit Cl. Auctor, quod praecipuam partem aquarum mineralium *de Paſſy* efficiat. Quum priores examinatores harum aquarum hanc partem neglexerint et, vt Cl. Auctor arbitratur, vel cum aqua matre vitrioli, vel cum ſale mirabili GLAUBERI confuderint, multum ſibi de hac obſeruatione, quam nouam putat, promittit, inde etiam peculiarem ſuper hac re conſcripſit commenta-

mentarium. In hoc probare conatur, vnionem illam intimam vitrioli martialis cum ſale *Epſom*, quam priores ſcriptores non intellexerint, ſolum obſtaculum praebuiſſe, cur ad perfectam cognitionem aquarum mineralium *de Paſſy* non peruenerint. Affirmat enim vtrumque ita eſſe coniunctum, vt difficillime poſſint diſſolui. Nullus ex Auctoribus chemicis, quos Cl. MONNET conſuluit, conſuluit autem multos, illi ſatisfecit, excepto Auctore *dictionarii chemici*, quem idem obſeruaſſe dicit. In commixtione vitriolorum, ferri ſcilicet, cupri et zinci, ſeu albi, intimam hanc combinationem inter ſe iam reperiri aſſerit. In hoc autem experimento omnes circumſtantiae non eaedem nobis videntur, vt cum prioribus perfecte conueniant. Imitatus eſt p. 231.
igitur ipſum illud mixtum reſiduum aquarum mineralium *de Paſſy*, coniungendo vitriolum martiale cum ſale *Epſom*, tartaro vitriolato, ſale GLAUBERI ac alumine: et cryſtalli figuram vitrioli vel ſalis mixti, prout hoc vel illud quantitate praeualuit, habuerunt, difficillime autem potuerunt ſeparari. Cum hoc commentario connexus eſt ſequens, qui p. 245.
agit de *diſſolubilitate*, vt vocant, *calcis ferri in acidis, quo ſimul demonſtratur natura aquae matris vitrioli* (*eau-mere vitriolique*). Quum nonnullae aquae minerales Cl. Auctori exhibuerint materiam vitriolicam, occaſionem hoc illi dedit inquirendi in naturam *aquae matris vitrioli*. Omne vitriolum forti igne coctum et aqua ſolutum, praebet, vti ferrum longe vſtum et in acidis ſolutum, aquam matrem vitrioli. Idem accidit, ſi vitriolum, ſeu dilapſum eſt in aere libero: aut ferrum ſuo inflammabili eſt orbatum, quod fit, dum ex ſolutione in acidis facta, per alcali fixum praecipitatur et calx ferri nominatur. Priuatio igitur inflammabilis ineptum reddit ferrum ad formandas cryſtallos, ſeu ſiſtendum vi-

triolum. Solutio autem habet naturam et qualitatem aquae matris vitrioli.

p. 258. Huic commentario accedit *ſupplementum, quod nonnullos modos recenſet, conficiendi tincturam martis* LUDOVICI. Exhibuit autem Cl. Auctori cum ſpiritu vini talem tincturam aqua matris vitrioli, vitriolum calcinatum, et calx ferri in acidis ſoluta.

p. 269. Sequitur *commentarius, quo examinatur conditio et natura minerarum ferri.* Quum Cl. Auctor in ea ſit opinione, pyritas nihil conferre ad generandas aquas minerales, ſed mineras tantummodo ferri: has vt examinaret, easque detegeret, quae hanc facultatem haberent, neceſſe iudicauit. Sunt autem ex eis hae, quae magnetem ſequuntur et quae ab acidis ſoluuntur. Reliquae, ochreaceae ſcilicet, et quae haematidis nomine diſtinguuntur, hac facultate carent. Exhibent enim cum acidis mixturam ſalinam aquae matri vitrioli ſimilem, idque tribus experientiis probat.

p. 281. Pyritis mentio occaſionem dedit Cl. Auctori inſtituendi *tentamen analyſeos pyritis.* Celeberrimus HENCKEL affirmabat, partes principales componentes pyritarum eſſe ferrum, ſulphur et terram non metallicam. Diſputat Cl. Auctor, num ſulphur exiſtat in pyrite iam formatum, vel non formatum? Poſt nouem cum diuerſis pyritis inſtituta experi-

p. 304. menta, tandem concludit, in omni pyrite contineri ferrum vnitum cum ſulphure imperfecto et terra argillacea.

p. 305. Commentarium hunc excipit alius *de proprietate, quam habent materiae acerbae praecipitandi, ex eorum diſſoluente, corpora metallica:* indicatur ſimul modus ſoluendi *Platinam* non minus in alcali fixo ac aurum et ferrum. Hic commentarius parum connexi habet cum aquis mineralibus, ideo pauca tantum ex eo notabimus. Oſtendit non modo ferrum,

ſed

ſed etiam reliqua metalla, in acidis ſoluta, praecipitari per admixtum acerbum, ſeu adſtringens, vegetabile. Haec praecipitata, in nouis acidis rurſus ſoluta, affuſo alcali fixo, denuo praecipitare voluit Cl. Auctor, ſed incaſſum. Inuenit e contrario ſolutionum colores magis denſos ſaturatosque, tamen ſimul transparentes: ex quo colligit, alcali corpus praecipitandum potius ſoluiſſe, quam ad praecipitationem diſpoſuiſſe. p. 313.

Huic commentario ſuccedit *commentarius de ſale Epſom, et de baſi terrea huius ſalis.* Nimis notus eſt ſal *Epſom*, quam vt de illo multa verba facere neceſſe habeamus. Certum eſt, quod is, qui hodie venditur, non ex fonte, quo nomen accepit, coquatur, ſed arte componatur, hinc adulterinus ſit. Communis opinio eſt, illum confici ex acido vitriolico et terra abſorbente. Sed ex acido vitriolico et terra abſorbente, oritur etiam ſelenites. Ergo, vt illa terra ſpecie diuerſa ſit, neceſſe eſt. Paratur, vti Cl. Auctor perhibet, ex aqua matris vitrioli et matre ſalis marini, quae per aliquod tempus coniunctim ebullire et coquere debent. Vitrioli tunc acidum deſerit ferrum et, fugato acido ſalis marini, intrat huius ſalis baſin terream: nouusque oritur ſal. Vt vero accuratius cognoſcat Cl. Auctor, ad quam ſpeciem haec terra pertineat, hanc rurſus ex ſale nouo, ope alcali fixi, praecipitauit et, factis experientiis, inuenit, eam non eſſe calcaream communem, ſed illam, cum qua alumen paratur, et quam Cl. MARGGRAF, Berolinenſis, in lapide ſerpentino Saxonico detexit. Examinat nunc propius terras calcareas, ſimulque inquirit in earum originem, qua occaſione reperit, terras calcareas eandem naturam habere ac terrae, ex animalium oſſibus et vegetabilibus acquiſitae. p. 323. p. 330. p. 337.

p. 350. Finem facit *examen modi, quo terrae uniantur cum aqua.* Simpliciſſimum hunc credit Cl. Auctor, ſine omni acceſſione acidi, vel alius ſalis. Quemadmodum ferrum a ſola aqua poſſe ſolui ſtatuit: ita ſolam aquam ſufficere putat ad ſolutionem terrarum, quod experimentis confirmare ſtudet. Attamen aërem, vel *Gas* tanquam cauſam concurrentem admittit, ſicut et concurſum terrarum, ſpecie diuerſarum, ſolutionem facilitare aſſerit.

XV.

La taille au niveau. Mémoire ſur la lithotomie par l'appareil latéral, ſes circonſtances et dépendances, avec addition de quelques nouveaux inſtruments pour cette opération. Par Mr. POUTEAU fils, Doct. en Médec. Maitre en Chirurgie etc. A Auignon aux dépens de l'Auteur 1765. 8. pl. 7½. tab. aen. 2.

i. e.

Lithotomia ad amuſſim, ſeu commentarius de calculi ſectione laterali, vna cum eius adiunctis et euentis, accedit deſcriptio nonnullorum nouorum inſtrumentorum ad hanc operationem. Auctore Cl. POUTEAU filio etc.

Cl. POUTEAU, de cuius miſcellaneis chirurgicis alio loco ad Lectores retulimus *), libellum, quem nunc indicamus, Cl. LAURE'S chirurgo et lithotomo Lugdunenſi dedicauit, in quo ope inſtrumentorum, hic deſcriptorum, calculi ſectionem feliciſſimo

*) Mélanges de chirurgie, à Lyon 1760. vid. Comment. noſtr. Dec. I. Suppl. I. p. 140.

ciſſimo cum ſucceſſu inſtituit. Methodus Cl. Auctoris in vniuerſum ſatis cum laterali conuenit; vtitur vero, ſi ſcalpellum, quo integumenta et pinguedo diuiduntur et ipſa veſica aperitur, quod cum vulgari lithotomo Cheſeldeniano conuenit, ſpecillumque ſulcatum, annulo inſtructum, exceperis, quod Cl. Auctor in miſcellaneis chirurgicis, iam commendauit *), tribus inſtrumentis, *directore* ſcilicet, *moderatore* et *lamina lithotoma* ſeu *proſtatotoma* (*lame lithotome ou proſtatome*). Duplicem autem Cl. Auctor horum inſtrumentorum inuentione vtilitatem quaeſiuit; primo vt veſica et proſtata inciderentur cultro, cuius latitudo ad variam aegri, in quo ſectio inſtituitur, magnitudinem et aetatem rationem haberet **); deinde vt ea ipſa inciſio fieret in aegroto, perfecte in ſitu horizontali ita collocato, vt ſectionis linea cum linea horizontali certum aliquem determinatae magnitudinis angulum efficeret ***). Ita vero Cl. Auctor in inſtrumentorum ſuorum appli- p. 5.
catione verſatur, vt ante operationem ſpecillum ſul- p. 36.
catum immittat veſicae aegri ſedentis, non in dorſo cubantis, cum experientia eum docuerit, illud hac ratione facilius applicari poſſe. Habet hoc ſpecil-

*) Vid. Mélang. de Chir. et Comment. l. c. p. 150.

**) Cl. Auctor monet iam Cl. LE DRAN ſimilibus laminis diuerſae magnitudinis in diuerſis aegris vſum eſſe. Quamquam vero culter huius Auctoris, quem *en rondache* vocat (vid. EIUSD. *Operat. de Chir.* p. 272. et in tabula aenea adiecta f. 2.), cum Cl. POUTEAU inſtrumento ſimilitudinem quandam habet, tamen neque in Cl. LE DRAN libro de operationibus chirurgicis, neque in alio (paralléle des different. method.) locum inuenire potuimus, in quo haec laminarum diuerſitas indicata ſit.

***) Linea ſectionis proſtatae cum linea horizontali, quae *moderatoris*, mox deſcribendi, ope determinatur, atque angulum rectum cum raphe ſeu linea perpendiculari facit, angulum circa 150 graduum efficit.

ſpecillum, vti iam monuimus, annulum in ſuperiore parte, cui chirurgus digitum minimum manus ſiniſtrae immittit, reliquis vero huius manus digitis ſcrotum ſubleuat atque cutem perinaei tendit. Tunc ſcalpello lithotomo, quod manu dextra tenet, plagam facit, quae paululum ſuperius margine anus ad raphen incipit, atque oblique verſus tuberoſitatem iſchii et adhuc ſupra eam deſcendit. Ampla vero ea ſit et inprimis in inferiore fine producta, quo vrina poſt operationem libere per eam effluere poſ-
p. 24. ſit. Neglectus enim huius rei, ex Cl. Auctoris mente, non ſolum cauſſa eſt ſtagnationis lotii poſt operationem in contextu celluloſo perinaei, ex qua vlcera, quae latius ſerpunt, haud raro oriri, atque aegros ipſos nonnunquam perire, omnes fere lithotomi conqueruntur; ſed et inter praecipua impedimenta eſt, quae extractionem maioris calculi difficiliorem reddere ſolent. Alium quidem vſum maioris plagae SHARPIUS in eo ponit *), quod arteria laeſa facile vinculo conſtringi poſſit, nunquam tamen Cl. Auctor ea ligatura opus habuit, eamque
p. 33. in vniuerſum difficulter inſtitui poſſe iudicat. Addit ſectionem externam ſimilem directionem habere debere, quam ſectio interna, mox deſcribenda, habet, qua re vrinae liberum profluuium egregie quoque adiuuatur. Iam cute et pinguedine diuiſa, indice dextrae manus catheteris ſulcum quaerit, eodemque reperto, idem ſcalpellum ita introducit, vt digitus dorſo eius impoſitus ſit, paullulum tamen ſupra apicem emineat **), tumque ad ductum ſulci ſpecilli, ante ſectionem in veſicam introducti et dextrorſum inclinati, in inferiore vulneris parte, ne acceleratores laedat, vrethram aperit, parua tantum plaga, vix aliquot lineas longa. Tunc ſcalpello ſe-

poſi-

*) Vid. EIUSD. operat. in ſurgery p. 100.
**) Vid. Mélanges et Comment. noſt. l. c.

poſito, per hoc vulnus inſtrumentum aliquod, ductori canaliculato (*gorgeret*) quodammodo ſimile, quod *directorem* vocat, in veſicam introducit et poſtquam illud in veſicam penetrauit, ſpecillum ſulcatum extrahit, cuius nullus amplius vſus eſt. Tuno directoris manubrio aliud inſtrumentum adaptat, quod *moderatorem* dicit. Hoc amuſſim ſiſtit, ſeu cylindrum vitreum, ſpiritu vini ita repletum, vt bulla aërea ſuperſit. Haec in ſiniſtro latere directoris eſt; in dextro vero ex eodem moderatore ad angulum 150 graduum, duo crura deſcendunt, quae ita a ſe inuicem diſtant, vt per eorum hiatum, *lamina lithotoma* ſeu *proſtatotoma* verſus veſicam pelli poſſit. Huius laminae acies proſtatam diuidit, dorſum vero et apex in ſulco, qui in dextro latere directoris eſt, latet. Quatuor vero eiusmodi laminas Cl. Auctor habet, diuerſae magnitudinis. Earum prima, quinque lineas lata, in pueris ad ſextum aetatis annum adhibentur; ſecunda, ſex lineas lata, in pueris a ſexto ad duodecimum vſque annum; tertia in adoleſcentibus ad viceſimum vſque annum, et quarta, quae octo linearum latitudinem habet, in iis, quae viceſimum annum iam ſuperarunt. Hac autem lamina inter crura deſcendentia moderatoris immiſſa, chirurgus directorem ita teneat, vt manubrium lon- p. 9.
ge inferius ſit apice, qui ſuperiorem veſicae partem ſpectat, in moderatoris vero amuſſi bulla aërea in medio haereat, atque tunc laminam proſtatotomam verſus veſicam vrgeat, ſicque veſicae partem, quae ob proſtatam eminentem protuberat, et duas tertias partes proſtatae ita diuidit, vt anterior eius glandulae pars tota diſcindatur, inferior vero ſiue baſis verſus veſicam non laedatur. Vulnus vero maius nec in veſica, nec in proſtata neceſſarium eſt. Collum enim veſicae (*goulot*), cui vulnus inflictum eſt, in calculi extractione ſine vlteriore dilaceratione, ſi

modo

modo operator caute verſatur, facile cedit *) ipſa-
que proſtata, ſi etiam eius diuiſio non ſufficeret, ta-
men ſub calculi extractione dilaceratur ea directione,
qua inciſa eſt **). Minore vero eiusmodi plaga,
nec veſicae collum nimium inciditur, nec plica peri-
tonaei inter inteſtinum rectum et veſicam, inprimis
ſi ea vacua aut circa calculum contracta eſt, deſcen-
dens ***), nec arteria retro proſtatam excurrens lae-
ditur. Reliqua vero in hac operatione Cl. Auctor
conſueto more peragit, ductoremque canaliculatum,
poſtquam laminam lithotomam et moderatorem ſe-
poſuit, ope ſulci directoris in veſicam introducit.

p. 11. His propoſitis, Cl. Auctor inſtrumenta, modo
deſcripta, cum lithotomo occulto fratris COSMI
comparat, eique praefert, variasque obiectiones
p. 15. quae contra nouam hanc methodum proponi poſ-
ſent, remouere ſtudet. Tranſit deinde ad varia
ſymptomata, quae poſt operationem accidere ſo-
p. 42. lent. Cum ob inſignem arteriarum varietatem ea-
rum laeſio non ſemper vitari poſſit, haemorrhagia
nonnunquam moleſtiam creat. Haec ſi leuior eſt,
non nocet, cum idem, quod venaeſectio, praeſtet; ſi
vero nimis magna ſit, ad eam compeſcendam epi-
themata frigida, ex aqua et aceto, ſcroto et abdomini
impoſita, multum valent. Quod ſi vero nec eorum
ope haemorrhagia ſiſtatur, digitum Cl. Auctor vul-
neri immittit, locoque laeſionis arteriae ex pulſu
inuento, arteriae orificium per quartam horae par-
tem comprimit. Vſus quoque eſt cauterio poten-
tiali ex antimonii butyro, arteriae laeſae applicato.
Fiſtulis

*) Vid. Mélang. et Comment. l. c.

**) Idem hoc Cl. Auctor iam in miſcellaneis chirurgi-
cis p. 213. propoſuit, ſuisque poſtea obſeruationibus
confirmauit Cel. CAMPERUS in Demonſtr. anat-
tom. pathol. L. III. p. 11. vid. Comm. noſt. Vol. XIII.
p. 273.

***) Vid. CAMPER l. c. p. 10. et tab. II. fig. 3.

Fiſtulis agarico obuolutis, quas varii Auctores ad haemorrhagiam fiſtendam commendant, parum fidit, maioremque fructum ab immiſſione fiſtulae nudae, quam LE DRAN *) propoſuit, expectat, vt alia taceamus. In fiſtulis perinaei, quae poſt calculi ſectionem oriuntur, calloſas partes lapidis infernalis ope deſtruxit, ſicque perfectam earum curationem obtinuit. Teſtium inflammatio, quae ex vaſis deferentis inflammatione ad teſtem producta oritur, ſi modo ſectio lateraliter ſatis facta ſit, raro accidit, atque etiam cataplaſmatibus emollientibus, clyſmatibus et lenioribus purgantibus adhibitis, facile diſſipatur. Tandem de incontinentia vrinae poſt calculi ſectionem in litteris Cl. POUTEAU ad Cl. PAMARD P. 59. eiusdemque Cl. Viri reſponſione diſputatur. Haec P. 62. nonnunquam ſine vllo ſectionis vitio oritur ex ſuppuratione vulneris nimis longa, aut ex veſicae paralyſi, atque nulla arte curari poteſt. Miramur tamen Cl. Auctorem putare, amuletum ex bufone ſiccato, olim A DE HEERS propoſitum, in eiusmodi incontinentia forte aliquem vſum habere poſſe. Quae P. 81. vero Cl. Auctor de aliis morbis ſymptomaticis, qui nonnunquam aegrum poſt operationem infeſtare ſolent, de vulneris cura, de iniectionibus in veſicam, (quas nonnulli poſt operationem commendant, Noſter autem reiicit) et de fiſtularum in vulnere relictarum minus recto vſu monet, quarum loco vulnus digiti potius immiſſione apertum ſeruat, taceamus. In duabus tabulis aeneis inſtrumenta deſcripta delineata ſunt, ſed, nonnullae figurae inſtrumentorum inuerſae exhibentur, ſculptoris errore iis ſiniſtrorſum vergentibus, quae dextrorſum dirigi debuerant.

*) Operat. p. 259.

XVI.

ANTONII DE HAEN S. C. R. A. Maieſtatis Conſiliarii et Archiatri Med. Prof. Prim. cet. Pars vndecima rationis medendi in noſocomio practico. Viennae Auſtriae ſumptibus Hermanni Ioſephi Krüchten. 1767. 8. Alphab. I. Tab. aen. IV. Pars duodecima ibid. 1768. 8. pl. 19.

P. XI. Pergit Cl. Auctor laudando ſtudio in obſeruationibus practicis proponendis et methodo medendi

p. 1. inde accuratius definienda. In huius partis capite primo *de febribus intermittentibus* agit et ex multis aegris obſeruatis, tres ſeligit hiſtorias morborum, quorum duo decocto quodam ſine cortice Peruuiano, tertius et decocto et cortice ſanati ſunt. De-

p. 4. coctum in hos vſus commendatum eſt: Rec. Rad. Gram. Taraxaci ana lib. vnam c. ſemiſſe, minutiſſime conciſam et diu tuſam coque aqua pura bihorio. Colaturae prelo fortiter expreſſae lib. tribus, adde oxymellis ſimplicis lib. ſemis, ſalis polychreſti drachmas ſex; vnciam ſumat aeger quouis bihorio.

p. 6. Triplicis generis febre intermittente oriundos tumores recenſet. Primum genus in ventre et inprimis hypochondrio ſiniſtro naſcitur nullius diſcriminis, oſtendit enim, SYDENHAMUM hos tumores vt ſalutares exoptaſſe, his enim ſimilia ſunt oedemata crurum, quae vel ſponte vel leni frictione diſſipentur. Secundum genus viſcera thoracis et abdominis obſtructa ſiſtit, his icterus, hydrops et rhachitis ſe iungunt et curationem difficillimam reddunt. Tertium genus obſtructiones viſcerum irreſolubiles exhibet in ſcirrhum et cancrum tranſeuntes, quibus ſe aſcites et hydrops ſaccatus adiungit.

Variis

Variis aliis obſeruationibus inſperſis, methodum p. 36.
Ill. BOERHAAVII, febribus intermittentibus et in
paroxyſmo et extra eum medendi, examinat. Inci- p. 40.
pit a victu tenui, quem nonnulli commendant, aliis
tamen contradicentibus. Sed vrget omnino No-
ſter, aegrum victu non onerandum eſſe, nec nimis
extenuandum, ſi enim is bene appetit, digerit et
egerit, victu vtatur, qui ad has qualitates conſeruan-
das requiritur et in hac re teſtimonio HIPPOCRA-
TIS vtitur, ſi vero aegri imbecilles ſunt, parcior et
tenuis quidem, ſed frequentior victus concedendus eſt.

Emetica medicamenta, etſi a quibusdam diu ante p. 44.
paroxyſmum exhibentur, melius tamen, proxime an-
te eum data, expurgandae materiae morbi conue-
niunt. Tenendum tamen eſt, non omnibus omni-
no aegris vomitoria conuenire, nonnullos potius, iis
datis, debilitari. Medici etiam interdum exigunt, vt
vomitorium eo interuallo a paroxyſmo propinetur,
quo paregoricum medicamentum interiici poſſit. Pur-
gantia etiam medicamenta, ſi ex impuritatibus cor-
poris indicantur, eodem modo conſideranda ſunt.

Venaeſectio plethoricis conuenit, hinc etiam in p. 53.
intermittente febre interdum exigitur, ſed rarius
omnino in aſſuetis, qua in re Gallorum teſtimonia
commemorat, qui has curationis rationes laudant.
Aliter res comparata eſt cum haemorrhoidum fluxu,
qui vel vniuerſam ſanguinis copiam imminuit, vel
eius congeſtiones in ſyſtemate venae portae arcet.
Sudor in his febribus vario modo excitatus eſt; alii
ſemper diluentibus et attenuantibus medicamentis
corpus repleuerunt, ſudorem ante paroxyſmum
excitarunt ac in eius progreſſu adiuuarunt; alii aro-
maticis et calidis medicamentis ſemper extra paro-
xiſmum vſi ſunt, qua in re myrrham, abſinthium et
alias plantas aromatico amaras inter antifebrilia re-

tulerunt, nonnulli haec tantum ante paroxyſmum exhibuerunt; alii frictiones, balnea, curſum aliasque corporis exercitationes pro hoc ſcopo ſuaſerunt. Haec omnia certe a prudenti medico dirigenda ſunt, ne, obſtructionibus relictis, aeger poſt febrim fugatam ad morbos chronicos v. c. hydropem diſponatur.

p. 65. Recenſentur poſtea varia epithemata ex acribus, irritantibus, aromaticis et ſalinis, carpis aliisque corporis locis ad fugandam febrim applicata, quorum

p. 73. effectum dubium candide diiudicat Noſter. Similis etiam ratio eſt inunctionis et frictionis, thecae vertebrarum, breui ante febris acceſſum, applicatae, qua in re quaeſtio additur, an inunctio mercurialis quartanarios iuuet? quae in ſuſpicione luis venereae coniunctae, forte valebit.

p. 77. Adſtringentium vſus v. c. tormentillae, pentaphylli radicum cet. poſtea examinatur. Haec forte in aegris, a febre debilitatis, ſolidis flaccidioribus et fluidis maxime aquoſis inſtructis, vtilia ſunt. Praeſtat tamen his cortex Peruuianus, cuius laudes hic

p. 84. repetit et variis febribus accommodare docet. Movet etiam quaeſtionem, an quaedam medicamenta, cortici addita, eius, in minori doſi propinati, vim augeant? Etſi autem formulam, cum eo communicatam, indicat, in qua praeter terrea radix gentianae adiecta eſt, certos tamen effectus non refert.

p. 90. Caput ſecundum *morbos acutos* recenſet et de pleuritide et peripneumonia potiſſimum agit, de iis tamen non conſuetas mutationes, ſed ſingulares quasdam refert. Iuuencula, pleuritide affecta, ante quartam iam venaeſectionem dolorem, ab inferiore parte ad ſiniſtram ſterni et humeri aſcendentem, perceperat, tamen cum hic iterum deſcendiſſet, reiteratae venaeſectiones inſtituendae erant, quarum ratio-

rationem longius deſcribit. Sputa, quae ad quadrageſimum quartum diem aquoſa et ſpumoſa erant, poſtea aliqua ſuppurationis initia monſtrabant, neque tamen his, neque aliis excretionibus vera criſeos ſigna indicabantur, die tandem ſeptuageſimo et ſequentibus nec tuſſis, nec alia ſymptomata obſeruabantur, manifeſto indicio, morbum tarde quidem, ſed recte ſuperatum eſſe. Huius itaque morbi diagnoſin et prognoſin praeter dolorem lateris et cruſtam ſanguinis inflammatoriam, conſueta alia ſigna non definiuerunt. Remedia, in hoc morbo adhibita, p. 101. erant, ſanguinis miſſio, quinquies inſtituta, veſicatoria, enemata crebriora, decocta herbarum emollientium et attenuantium cum melle et oxymelle ſquillitico, antimonium diaphoreticum non ablutum et kermes minerale, mucilagines cum maſſa pilularum de ſtyrace, vt medicamenta paregorica, de nocte ſumenda, oleum quoque lini, externo et interno vſu ſalutare, maxime laudatur. Ad curam ventriculi, miſerrimo antea victu deprauati, adhibita ſunt infuſa rhabarbarina, quibus etiam aluus crebrius ſubducebatur.

Faber lignarius, homo robuſtus, variis de cauſſis p. 104. peripneumonia affectus, in curatione ſequentia praecipue oſtendit. Sanguis, die quinto ex dextro brachio miſſus, ſolutus cum cruſta ſubuiridi tremula apparebat, poſt octo horas ex ſiniſtro brachio ſubductus ſanguis cruſtam duram et craſſamentum firmum exhibuit. Pulſus quinto die durus fuit et fortis, ſexto debilis inaequalis, ſeptimo naturali ſimilis. His ſubiunguntur varia de criſi ad dies non adſtricta, inprimis de ſudoris varietate. Die decimo quarto morbi noua et grauior febris mota eſt, nec veſicatoriis, nec venaeſectionibus compeſcenda; in his declarandis varias obſeruationes de caloris gradu et miſſi ſanguinis mutationibus recenſet Cl. Auctor, quas

eum repetere haud poſſimus, notamus tantum poſt quinquaginta vncias ſanguinis detractas pulſum ple-
p. 120. num et fortem manſiſſe. Aegro autem mortuo, ſectio cadaueris ſequentia praecipue exhibuit, ex quibus forte morbi ratio apparet. Hepar et ſplen mole aucta erant et, cum interiecto ventriculo diſtento, colon, in media parte contractum et ſingulari ratione inflexum, ad regionem vmbilicalem depreſſerunt. Ileum inteſtinum et duodenum cum aliqua parte omenti inflammationem variam referebant, pulmo vndique accretus, in dextra auricula polypus albus ad iugulares vſque venas extendebatur, in cerebro omnia ſana praeter inſolitam ſiccitatem.

p. 126. Caput tertium *de morbo ileo* refert. Ampliſſima haec eſt tractatio, quae cauſſas, ſymptomata et ſigna cum methodo medendi variis tentaminibus illuſtrata, in variorum aegrorum accurata obſeruatione declarat et, ſectione cadauerum inſtituta, laeſiones partium internarum non tantum deſcribit, ſed variis iconibus illuſtrat. Cum de his omnibus accurate ſatis agere nequeamus, ſeligamus tantum quaſdam
p. 137. annotationes Cl. Auctoris, ſparſim propoſitas. Quae ilei letalis cauſſa proxima ſit, dubitat Noſter, cum eam et in inflammatis et gangraenoſis ilei plagis et in complicato colo inuenerit. Tempeſtiua venaeſectio, multum olei, purgantia opiatis interpolata, elyſmata ex fumo tabaci, optima, ſi mature adhibentur, ſunt auxilia. Omenti defectum inter colicae cauſſas referri poſſe, eius vſus in fouendis et lubricandis inte-
p. 173. ſtinis declarat. Virium proiectio, pulſus cum celeritate paruitas, frigus extremorum, oculorum collapſus, faciei et labiorum praecipue liuor, indolentia partium, antea dolentium, funeſta ſigna ſunt et gangraenam metuere iubent, haec vero et ex his praecipua, ſi vel deſunt, vel emendantur, a gangraena, clandeſtine obrepente, hominem non liberum reddunt.

In

In ſartore ſeptuaginta trium annorum, ileo mor- p. 176.
bo defuncto, ſectio cadaueris duodecim flexus coli
monſtrauit, quae Tab. III. fig. 2. declarantur, reliquis
partibus, vel maxime contractis, vel aere diſtentis et
inteſtinis quoque tenuibus turgentibus. Cum in p. 181.
hoc cor vtrumque vacuum repertum fuerit, Noſter
arbitratur, hepar et inteſtinum colon verſus dia-
phragma vrgeri et ita vitales actiones laedere et
ſufflaminare poſſe; cor enim cum pericardio ita
complanari et baſi ſua flecti putat, vt ſanguis omnis
in ſinubus colligeretur, hincque vacuus reperiretur
vterque cordis thalamus, qua in re dubitationem
obortam aliorum iudicio relinquimus.

Coquo, morbo ileo ex colica pictonum laboranti, p. 186.
quarto die vncias tres mercurii cum oleo amygdala-
rum, ſequenti die duas et ſexto iterum duas propi-
nauit. Obſeruauit id, quod HOFFMANNUS in
matrona obſeruauerat, magnam ſcilicet tranquillita-
tem poſt eius vſum. Aluus tamen non niſi conti-
nuatis enematibus ſoluta eſt, ſeptimo enim die et
poſt iniectum clyſma ſextum cum fecibus copioſis
aliqua pars mercurii prodiit, a ſeptimo et octauo
tamen nihil mercurii, die octauo vero et poſt ap-
plicatum clyſma nonum iterum mercurius pro-
diit, nona die aluus ſponte ſeceſſit et corroſi et ni-
gricantis mercurii indicia habuit. Notat in hoc gra-
viſſimo morbo nullam paralyſin relictam eſſe, contra
eos potiſſimum, qui in hoc morbo opium damnant,
eiusque vſui paralyſin adſcribunt. De doſibus mer-
curii poſtea agit et metum quod, monente HOFF-
MANNO, morbos neruorum excitat, haud inanem
pronuntiat, aliaque lectu digna de mercurio aliisque
remediis, huc pertinentibus, diſputat. Laudes olei p. 204.
lini et Ipſe cum Cl. GALLESKY *) extollit et, cum
nauſeoſum ſit, in clyſmatibus magis exhibet. Ma-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 625.

chinae Italicae *) in hominibus applicationem non probat, niſi pluribus tentaminibus confirmetur.

p. 206. Caput quartum *de vario hydrope* agit et Cl. Auctor morbum hunc in variis exemplis ex cauſſis et mutationibus ſubſequentibus diiudicat, paracenteſin ſaepe adminiſtratam et liquoris educti indolem deſcribit et examinat. Nos, qui ordinem huius tractationis preſſe ſequi non poſſumus, ſparſas quaſdam annotationes ſelegimus.

p. 209. Feminae viginti quinque annorum aſciticae ſexaginta octo librae aquae paracenteſi eductae ſunt, quae non foetebat, ſed ſubrubella erat et ſanguinem grumoſum, in fundo vaſis ſubſidentem, oſtendebat; etſi vero et copia aquarum et ſanguis admixtus infauſtam prognoſin redderent, praeter ſpem tamen cortice Peruuiano, copioſe dato, ſanata eſt.

p. 212. In aegro iacente ſaepe moles aquarum non ſatis ad locum punctiurae vrget, nonne tunc erecto potius corpore inſtituenda eſt?

p. 214. Liquor, paracenteſi eductus, poſt quindecim dies nondum putruit, ſed in cochleari igne admoto, in coagulum, albumini ouorum ſimile, mutatus eſt, quem ſyrupus violarum ex flauo colore in viridem mutauit, an ex eo, quod omnes animales humores latens alcali habent, ſed idem ſyrupus non omnes liquores, paracenteſi eductos, virides reddit et hic color paulo poſt euaneſcit.

p. 219. In femina viginti octo annorum, liquoris libras quinquaginta quatuor eductae, metuere faciebant gangraenam, quam Noſter largiori vſu corticis Peruuiani repreſſit. Liquor eductus, non obſtante calore atmoſphaerae, die tamen tertio demum foetere incepit et arenulas, ad latera vaſis affixas, exhibuit mani-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 444. et Vol. XIV. p. 673.

manifeſto indicio, et in aliis corporis humoribus, nec ſolum in vrina, calculos naſci poſſe. Liquor autem, die quarto in cochleari igni admotus, coagulatus eſt. In hac femina cum aſcite tumor cyſticus in abdomine ſimul fluctuabat, in ſiniſtro vmbilici latere potiſſimum perceptus, cum autem vires aegrae poſtea inſtauratae eſſent, vrina, variis remediis mota, largius effluxit et diſcuſſionem tumoris promittere viſus eſt.

In alia femina triginta trium annorum paracen- p. 236.
teſis inſtituta ſine fructu fuit, aquae enim denuo collectae, non tantum diaphragmate praeter modum extenſo et furſum preſſo, cor vsque ad iugulum elevarunt, ſed iecur, ventriculum et lienem verſus dorſum depreſſerunt, quae ſingularis mutatio ſitus partium Tab. II. fig. 4. delineatur et, noſtro iudicio, accuratiorem iconem deſideraſſet.

Commemorantur Auctores, qui in cura hydro- p. 249.
pis clyſmata ex vrina variorum animalium commendarunt, qua de cauſſa Noſter quoque tentamen aliquoties cum vrina vaccarum inſtituere iuſſit, ſed ſine omni fructu.

Ex accurata recenſione mutationum, in ſectione p. 252.
feminae hydropicae obſeruatarum, phaenomena morbi antecedentis declarantur; omiſſis vero reliquis, in geneſi membranarum, quas pſeudomenyngas Noſter appellat, haereamus. Liquor, ex abdomine poſt mortem eductus, ex albo fuſceſcebat, qui plures ſimiles membranulas continebat, vltima etiam portio craſſamentum gelatinoſum referebat. Inprimis vero pſeudomenynx non flaua, ſed rubra potius, inteſtina tenuia tegens et ſuper colon ad hepar vſque ſe extendens, inuenta eſt, quae proceſſu vno ad centrum meſenterii, alio ad lienem producebatur. Cum itaque non ſolum hepar cum diaphragmate, ventriculo et colo, ſed pulmones quoque cum pleu-

p. 264. ra, diaphragmate et pericardio coaluiſſent, in geneſin membranularum inquirit Noſter, eamque a tranſpreſſo ex viſceribus et membranis ſero ſanguinis declarat, quod gelatinoſae indolis cruſtae inflammatoriae ſimile, iudicatur, et in liquore, ventrem diſtendente, generatur, verſus viſcera ſubſidet, iisque adhaeret et ita partim concretiones viſcerum efficit, partim in peculiares et diſtinctas membranas cogitur. Etſi vero cum hac geneſi nulla vehementis inflammationis ſigna percipiebantur, in viſcerum tamen obſtructionibus atque compreſſionibus, ſanguinem liberis in vaſis comprimi, denſari et ad inflammationem diſponi poſſe, arbitratur. Similem inflammationem oſtendit ſanguis interdum ex venis hydropicorum miſſus; et in femina, quae his conſiderationibus occaſionem dedit, nona et octaua ante mortem hebdomade, in febris continuae acceſſu modicae ſanguinis miſſiones ob anxietatem intolerabilem inſtitutae ſunt, ſanguisque compactus et craſſus inventus eſt et duram admodum et flauam cruſtam exhibuit, ſputa quoque poſtea euenerunt purulenta, diatheſin ſanguinis inflammatoriam indicantia.

p. 274. Puella ſedecim annorum, hydrope cyſtica laborans, in aquis iterata paracenteſi eductis, a dextro latere ſemper limpidum, a ſiniſtro turbidum humorem exhibuit. Hac occaſione non ſine ratione monet Noſter, in hydrope ſimili diureticis reſolucentibus et attenuantibus abutendum non eſſe, quippe quae in humores ſanos agunt et collectionem aquarum augent, nec eam impediunt, nec ad veras vias deriuant. Etſi enim cyſtides hydropicae legibus circulationis vix vltra ſubiectae eſſe videntur, aliqua tamen ſigna in vrina probant, ichoroſam mate-

p. 277. riam ex iis in ſanguinem reſorberi. Tentamen inſtitutum eſt, an cannula relicta et aqua hordei iniecta depurari et ad contractionem diſponi poſſint cyſtides,

ſtides, ſed non ſucceſſit, febre enim mota, cannula educenda erat. Poſt obitum aegrae, Noſter ob negligentiam miniſtrorum, qui liquores reſiduos ex ſacco hydropico ſine attentione emiſerant, in diſquiſitione, quam inſtituere decreuerat, impeditus eſt, nec definire potuit, num in variis paracenteſibus inſtitutis limpidae aquae ex abdomine, turbidae ex cyſtide promanauerint.

Miſſis aliis in ſectione cadaueris obſeruatis, tantum notamus, ouarium ſiniſtrum naturali duplo maius, cartilagineum, ſcabrum et hydatidibus refertum, exſtitiſſe, loco dextri vero, quod cum tuba prorſus diſparuerat, a fundo vteri latam membranam proceſſiſſe, cui ouarium in magnum et irregularem ſaccum extenſum adhaeſit. Inaequalis et tuberoſus hic erat, totumque abdomen replebat, parietum craſſities diuerſa erat, nonnullis in locis cartilaginea, in aliis ſcirrhoſa durities accedebat. Etſi vero tria tubera inaequalis magnitudinis referebat, haec tamen intus in varia loculamenta diuiſa erant, in quibus vel aqua, vel pus, vel mucus continebatur. In omni ambitu diſtribuebantur vaſa, quae in extenſione ſacci ſubinde, facta, quoque diſtenta erant. p. 283.

Nunc ad varias hydropis ſpecies declarandas ſe conuertit Cl. Auctor, ſcilicet hydropem, anaſarcam, aſcitem peritonaealem, cyſticum ſiue ſaccatum et tympaniticum, et, prima ſpecie obiter tantum indicata, de reliquis ſigna horumque fallacias commemorat et doctrinam variis Auctorum teſtimoniis illuſtrat, quam tamen lectu dignam tractationem in compendio tradere haud poſſumus, inprimis cum Cl. Auctor, exceptionibus additis, ſatis declaret, medicos in diagnoſi horum morborum eruenda ſumma cum attentione verſari, eamque, repetito examine, confirmare debere. p. 292.

p. 323. Similis tractatio de medendi methodo addita est, in qua, ratione curae internae, ad institutionem Ill. BOERHAAVII, commentatione Swieteniana explicatam, prouocat, iniectiones adstringentes post paracentesin non probat. Peritonaealem asciten, aquis emissis, coalitum peritonaei cum musculis concessisse, creditur quidem, sed curationes commemoratae id non semper confirmant, multa potius alia mala vlcerosa praeter recidiuam timenda esse, monet Noster. De hydropis cystici curatione per incisionem, iniectionem, depurationem et blandam inde sacci contractionem efficiendam, porro dubitat Noster *).

p. 339. Caput quartum *anatomica quaedam et expositionem tabularum* proponit. Declarantur breuiter, quae in quatuor tabulis expressae sunt icones, quibus potissimum ea, quae situm peruersum viscerum infimi ventris et varias intestinorum inprimis coli mutationes concernunt, adumbrantur. Nos quaedam ex his suo loco commemorauimus, omnes vero icones sigillatim diiudicare, instituti ratio vetat, monemus tamen ad has et similes praeternaturales abdominis dispositiones, in examine morborum accurate attendendum esse, quo fallaciae diagnoseos omni modo euitentur.

P. XII. p. 1. In duodecima parte quatuor priora capita pulsus doctrinam illustrant, reliqua annotationes ad varias res, iam pertractatas, addunt. Caput itaque primum *doctrinam* HIPPOCRATIS *de pulsibus* colligit. Etsi enim signa ex respiratione, vrina cet. ei frequentiora fuerunt, tamen non sexies certe, vt alii perhibent, sed frequentius longe pulsus rationem in morbis indicasse HIPPOCRATEM, Noster affirmat et, collectis variis testimoniis, probat. Ex his enim

*) Vid. Comment. nostr. Vol. IX. p. 661. Vol. XII. p. 129.

enim euincere ſuſcipit, laudatum Virum conſiderationem pulſus ad diagnoſin et prognoſin morborum non ſolum, ſed etiam ad alias doctrinas medicas illuſtrandas applicaſſe, fatetur tamen, eas minus completas eſſe, nec ad ſingulas morborum obſeruationes ſatis accommodatas.

Caput ſecundum *pulſus hiſtoriam ab* HIPPOCRATE *ad noſtra vſque tempora* recenſet. Contendit primo, ARAETAEUM iam ante tempora GALENI pulſuum doctrinam accuratius propoſuiſſe. p. 15.
Etſi vero GALENUS de pulſibus plures libros edidit, rationem tamen pulſus oratorio magis ornatu deſcribit, nec recte definit, in refellendis aliorum medicorum ſuper hac re ſententiis nimis copioſus eſt et ſubtili diſtinctione, ad artem clinicam nec applicanda, nec aſſequenda, magis confundit, quam docet. Qui vero hunc ſequuti ſunt medici, doctrinae eius tantum adhaeſerunt. p. 20.

Nunc diſtinctiones pulſuum, a pluribus retro ſeculis in ſcholis medicorum declaratas, recenſet et ex his compoſitas commemorat, teſtimoniaque affert, pulſum cum raritate celerem, hoc eſt, frequentem, a celeri vere diſtinguendum eſſe. Simili quoque ratione pulſum, in vtroque brachio variantem, concedit, nec tantum ex ſitu et progreſſu arteriae diuerſo, ſed ex conditione quoque morbi. Intermittentem pulſum in ſenibus minus periculoſum eſſe, omnes largiuntur, non aeque in iunioribus, contrarium tamen oſtendit Noſter ex obſeruationibus, quibus declaratur, ſaburram primarum viarum et vermes ob ſtimulum neruis inimicum intermittentis pulſus cauſſam eſſe, qua remota, regularis redditur. His quaedam ſubiungit de intermittente pulſu ex vitiis viſcerum inprimis vitalium et quibuſdam naturalem eſſe docet. p. 23.

Etſi

p. 42. Etſi vero pulſus defectus ſeu plenaria aſphyxia rarius obſeruatur et ſaepe ex verae diſquiſitionis neglectu ſpuria eſt, quaedam tamen exempla affert, quae, eam interdum ab accuratis viris obſeruatam eſſe, declarant.

p. 50. Traditur porro hiſtoria morbi iuuenis viginti quatuor annorum, febre acuta inflammatoria laborantis, in quo, hac de cauſſa, pulſus longe celerior eſſe debuiſſet, dimidia tamen parte rarior, modice febrili, inuentus eſt. Venaeſectionem quidem, hoc pulſu monitus, intermiſit Noſter, aegram vero methodo antiphlogiſtica vſque ad decimum quartum diem ſanauit. Quae obſeruatio etſi incompleta eſt, quod nec ante morbum, nec poſt eum curatum ratio pulſus diſquiri potuit, occaſionem tamen dedit Cl. Auctori, de differentia pulſus in ſedente et cubante varia inſpergere lectu digniſſima. Subiunxit etiam variorum medicorum de ſingulari pulſus varietate obſeruationes.

p. 74. De pulſu celeri etiam agit recenſetque morbi progreſſum in virgine viginti quatuor annorum, quae ob morbum, peripneumoniam minitantem, in noſodochium excepta eſt. In hac pulſum, ſumme variantem, inprimis vero celeritatem, ſaepe vltra modum auctam, vſque ad diem centeſimum et quinquageſimum ſextum attente obſeruauit, et cum interea partes taeniae receſſerint, cum corticis Peruuiani vſus et venaeſectio quandam mutationem induxerint, obſeruatio lectu digna eſt, etſi verae huius celeritatis cauſſae non inuentae ſunt.

p. 88. Caput tertium *recentiorum ſcriptorum circa pulſus obſeruationes* tradit. Recenſet primo Cl. SOLANO obſeruationes de pulſibus, varias morborum euacuationes criticas indicantibus, easque ab aliis vel confirmatas vel correctas declarat, concludendo, forte haec

haec potius, interdum non ex vera naturae lege contigisse. Etsi enim ea, quae in Hispania a SOLANO animaduertuntur, non audacter negat, tamen monet, se per attentam obseruationem nec in Belgio, nec in Austria similes euentus in morbis obseruasse.

Simili ratione et accuratius etiam Cl. BORDEU obseruationes examinat et de iis succincte et candide refert, illas tamen, vt alii naturae constitutioni in indicandis motibus criticis non consentaneas. inuenit. Proponit ideo laborioſi examinis quaedam specimina, ex quibus nonnulla sparsim selecta indicabimus. p. 100.

Alibi iam in febre acuta inflammatoria pulsum tardissimum, vt rariorem, annotauerat, in aegro enim quarto tantum die rhythmo et tempore inaequalis, reliquis vero diebus vere aequalis fuit pulsus et quarto die iam larga transpiratione et vrina morbus iudicatus est. Defuit ergo in hoc aegro gradatim decrescens inaequalitas, quae ex doctrina illa vrinarum criticarum pronuntianda erat. p. 117.

In virgine, cuius pulsum iusto celeriorem per centum et quinquaginta sex dies examinauerat, in cruditate pulsus irritationis Cl. BORDEU non contractus, plenus et subdurus fuit, sed plenus, fortis, celer et aequalis. Die quinto huius morbi in paucis sputis coctionis nisus erat, et vrinae sedimentum formarunt; ex excretorum itaque conditione pulsus vrinarii et pectoralis commistio expectanda fuisset, pulsus scilicet per gradus descendens, cum pulsus intestinalis inaequalitate, isque reduplicatus, at vero, praeter modicam celeritatem, pulsus tota die naturalis fuit. Pauca haec diiudicati pulsus specimina ideo tantum commemorauimus, quo appareat, quantum et in reliquis examinandis adhibuerit industriam Cl. Auctor, cuius rei quaedam consectaria addimus. p. 119.

Monet

p. 147. Monet primo, non paucos morbos acutos exiſtere, quibus praeter celeritatis et duritiei variationem, notabilis pulſuum mutatio, nec in cruditate, nec in coctione accidat. Concedit, in acutis dari nouas pulſuum mutationes, quae tamen definitas a quibuſdam medicis prognoſes non confirmant, tum enim euacuationes criticae vel nullae ſunt, vel aliae, quam indicatae fuerunt. Euenire aſſerit et alias, quam ab his Viris indicatae ſunt, pulſus mutationes, quae tamen nec in diagnoſi, nec prognoſi ad certam normam reduci poſſunt, ideoque varias ſubiungit rariores in morbis pulſus varietates.

p. 161. Caput quintum *de damno, quod a neotericorum de pulſu placitis, medicina patitur*, agit. Contendit ergo, veram et tutam praxin Hippocraticam his inventis obſcurari, ideoque ea, quae Cl. BORDEU et de criſibus et de pulſibus, contra HIPPOCRATEM aliosque medicos, qui eius veſtigiis inſiſtunt, monuit, refellere conatur, v. c. in diebus criticis et aliis
p. 177. ad criſium praedictiones pertinentibus. Inprimis autem lectu digna eſt defenſio Ill. BOERHAVII, quam Noſter, eius doctrina enutritus, attente ſuſci-
p. 189. pit. Qua occaſione etiam de purgantibus in acutis febribus varia declarantur.

p. 207. Subnectit huic capiti generalem animaduerſionem de methodo medendi nonnullorum medicorum, quos ex Chiraciana ſchola egreſſos fuiſſe, dicit. *Inchoant*, inquit, *continuantque curam, venaeſectione perquam numeroſa; iterato exhibent vomitoria; quotidie hi, illi die ſaltem alterno, corpora purgant; ſic autem vt apozematibus ſuis, quo humores efficacius mouere ſolidaque ſtimulare potentius poſſent, aliquid tartari emetici perpetuo iungant, donec demum praetenſa ſua criticorum pulſuum ſigna inſurgant.* Recte itaque monet, non ordinatis naturae motibus, ſed iis perturbatis, ſequentis

tis pulſus ſingulares varietates adſcribendas eſſe, Hippocraticam nempe ſcholam, quam illi medici reprehendunt, vere oſtendere, obſeruationum veritatem nullam eſſe, ſi medicus naturam perturbaverit et egregia aliqua Cl. BAGLIVII verba ſubiungit *)

Caput quintum *de lumbrico lato* exponit. Mor- p. 210.
bi quidam recenſentur, in quibus vehementiſſima quaedam purgantia, clyſmatibus emollientibus iunctis, aliaque medicamenta anthelmintica exhibita ſunt, quae hiſtoriam vermium nonnihil illuſtrant, ad certas tamen concluſiones non ducunt.

Caput ſextum *de variorum medicamentorum virtu-* p. 227.
te agit. Viperarum curam variis in morbis laudat et exemplis illuſtrat, iure enim recentium viperarum Italicarum vitiliginem ceu ſcabiem atrocem pulmonisque vlcera curata, ſpinam ventoſam autem mitigatam eſſe narrat.

Laudatur in Anglia elixir vitrioli in dyſpnoea et p. 239.
ſuppuratoriis pulmonum morbis, illud vero Noſter non propinare auſus eſt, et ob copiam aromatum, quae aeſtum augent, et ob vim acidi, lac coagulantem. Sed, dubitationibus his per amicorum litteras remotis, hoc medicamento in variis aegris ſummo cum fructu vſus eſt, exhibuit enim viginti vel plures guttas bis vel ter de die per plures menſes et per aliquot annos. Videtur verò in illa phthiſeos ſpecie inflammatoria et ſuppuratoria conuenire, in qua materies vniuerſi cruoris, in integros pulmones transſudans, colligitur, ſputorumque forma eiicitur, quod diatheſin hanc ſanguinis praecipue euincat.

De

*) Sunt ex praxeos medicae Lib. II. cap. 12, in quo paradoxa recentium medicorum in deriſione criſium egregie proponuntur.

p. 251. De agarici laricis exiguis fruſtulis, ſubinde fumtis, in compeſcendis ſudoribus colliquatiuis, aliisque nonnullis medicamentis pauca refert, vberius diſquirenda.

p. 263. Caput ſeptimum *finem quaeſtionis de ſenſibilitate et irritabilitate* addit. Contradixerat hac in re Noſter obſeruationibus Ill. HALLERI ex conſiderationibus variis corporis aegroti, nunc tandem huius, in viribus corporum internis declarandis, tentamina probat et meritis laudibus extollit. Etſi vero ex ea tantum parte acquieſcere videtur Cl. Auctor, quod HALLERUS non inuertere cogitet pathologiam inuentis ſuis, tamen hic quoque, in eum finem tentamina illa inſtituit, quo phyſiologia pathologiam illuſtret et confirmet.

p. 274. Caput octauum *de inoculatione variolarum* nonnulla proponit. Praemiſſa breui recenſione controuerſiarum de variolarum inoculatione, a ſe excitatarum, decem obſeruationes inoculationis, ſiniſtre cedentis, refert et ſingulis ſubiungit cauſſam mortis vel laeſiones, ex alia re, praeter inoculationem, repetenda, quamobrem ex ſimilibus rationibus patet, neminem ex naturalibus quoque variolis mori. Subiungit varia, quae fallacem inoculationem demonſtrare poſſunt.

p. 294. Tandem cum ex naturalibus variolis multi moriantur et cum hoc ex neglectu debitae curationis pendeat, duplex conſilium exhibet; primo, vt medici clinici patrio ſermone breuem, ſed ſatis dilucidam normam praeſcriberent, et non ſolum ſemiotices et medendi methodi variolis regulae paterent, ſed etiam vana et ſaepe noxia anicularum conſilia infirmarentur, quod etiam certius expectandum eſſet, ſi ea norma publica auctoritate confirmaretur: alterum

vt

vt leges condantur; quae variolarum contagium auertant; hae quidem difficultatibus non carent, Noſtro tamen et aliis non omnino impoſſibiles videntur.

XVII.

IO. ERN. GUNNERI Theol. et Phil. Doct. Dioeceſios Nidroſienſis in Norwegia Epiſcopi, Flora Noruegica, obſeruationibus praeſertim oeconomicis panosque Noruegici locupletata. Pars I. Nidroſiae apud Typogr. Vindingium et Hafniae apud Bibliop. Pelt. 1766. fol. Alph. 1. pl. 4. tab. aen. 3.

Quaecunque deſiderari poſſunt ab illo, qui tractus et regionis cuiusdam ſpontaneas plantas diſquirere, et tam in exterorum, quam inquilinorum commoda recenſere ſuſcipit, ea omnia non ſolum egregie impleuit, ſed et plura praeſtitit Cl. Auctor in hac flora, quam ad imitationem aliis merito commendamus. Et cum Danicae et Suecicae plantae variorum, inprimis LINNAEI et OEDERI ſtudio fuerint expoſitae, Noruegici autem regni diuitiae hactenus fere incognitae manſiſſent botanicis, eo maiores gratias referre debemus Venerabili Viro, quod defectum hunc ſupplere et nouis acceſſionibus rem herbariam augere voluerit. Diu iam in itineribus ampliſſimis, tum terreſtribus, tum marinis, quae ad coetus ſanctiores viſitandos quotannis inſtituere debet, naturae dona vbique ac ſummo ſtudio peruestigauit ipſe, aliosque conterraneos ad ſimilem operam nauandam excitauit, praecipue vero Eundem occupatum hactenus tenuit animale et minerale regnum, prout ex actis Nidroſienſis ſocietatis, cuius fundator quoque fuit, abunde patet, nunc autem

plantas quoque legit, et in patriae maxime commodum eas publice expoſuit, quas huc vſque vel Ipſe inuenit, vel ab aliis communicatas accepit. Non omnes itaque, quas haec terra alit, ſed modo 314. Prima parte plantas, et quidem nullo ſeruato ordine, recenſuit, reliquas parti poſteriori, et ſi quae poſt hanc detegerentur, actis Nidroſienſibus reſervare voluit Cl. Auctor; cuius inſtituti rationem Ipſe addidit: *non forſan deerunt*, ſcribit, *qui optarent, vt editio huius florae differretur, vſque quoad tanta plantarum facta fuiſſet collectio, vt ordine ſyſtematico poſſit prodire. Sed vero, ſi editio eius tam diu differretur, valde metuerem, ne fieri poſſit, vt vix, me vivo, in lucem emitteretur. Quo circa conſultius duxi, plantas Norwegicas ſenſim, prout mihi innotuerint, nulla ordinis habita ratione, palam facere.* Plantas autem non niſi illas recenſuit, quas vel Ipſe in itineribus ſuis et in praedii ſui, Berg ad Nidroſiam dicti, vicinia legit, vel ab aliis lectas vidit, enodauit, aut ſaltem nouo examini ſubiecit. Vbique Linnaeana nomina adhibuit, ſynonyma pauca, aſt ſelecta, adiecit, et eos inprimis citauit Auctores, qui delineationes dederunt, vicinarumque regionum, Daniae et Sueciae ſtirpes expoſuerunt. Plurimae enim ſunt tribus his regnis communes, aliquae tamen etiam propriae, quales ſunt plures fuci, primula integrifolia, ſilene armeria et aliae. Addidit vbique vernacula propria, Danica, quandoque et Lapponica, aſt et Germanica, Gallica, Anglica nomina, ex Auctoribus, ſaepe etiam citatis, collecta: loca porro natalia copioſe memorauit, et in quonam vel Ipſe, vel alii plantam inuenerint, ſollicite notauit, florendique tempus adpoſuit. Obſeruationes denique vberrimas propoſuit, quae vel ad plantarum cognitionem faciunt, vel praecipue vſum medicum ac oeconomicum concernunt. Vſus iam cognitos ex aliis qui-

quidem repetit, plurimi autem noui ſunt, incolarum, propriisque Cl. Auctoris experimentis innixi, vti et ea, quae ad Pan Norwegicum pertinent, diligentiſſime expoſuit, et fere ſemper notauit, an ab animalibus, et quibusnam deuoretur, aut auerſetur planta.

His praemiſſis, ad ſpecialiora progrediamur, et ex fertiliſſima flora aliquos decerpamus flores, quo operis praeſtantia plenius cognoſcatur. *Oſmundae*, No. 1. *ſtruthiopteris* dictae, accuratam dedit et deſcriptionem et delineationem. Radix conſtat laminis nigro fuſcis, carnoſis, ſolidis, conuexis, infima parte fibroſis, frondes ſteriles pinnatae ſunt, pinnis mediis longiſſimis, ſuperioribus et inferioribus breuioribus, ſcapus cum fructificationibus non ante tempus autumni apparet, eiusque infimae parti vtrinque ſaepius adnaſcuntur minora quaedam folia, iis ſimilia, quae infimae ſtipitum ſterilium parti inſident. Fructificationes in racemum diſponuntur, cuius ſinguli rami exhibent quaſi ſpicam diſticham, articulatam, articulis primum ſubfuſcis, vel obſcure vireſcentibus contiguis, dein ſub forma plerumque ſubrotunda diſtinctis et fuſcis. Formantur autem hi quaſi globuli beneficio foliorum frondis fructiferi anguſti inflexorum et conuolutorum, primum ab ipſa fructificatione vix dignoſcendorum, poſtea vero ſponte dehiſcentium; quum quidem capſulae apparent copioſae flaveſcentes et globoſae, quas microſcopium docet eſſe membranaceas, nitentes, annulo geniculato, lineis transuerſalibus parallelis interſtincto, in circulo maximo cinctas, et capillari pedicello, frondi affixo, innixas; capſulis horizontaliter ruptis, ſemina minima flaua eiiciuntur. Tab. II ſiſtit *cicutam viroſam*, in omni ſua vegetatione, flore et ouario per microſcopium quoque delineatis. Radix, vt Cl. Auctor

ſcribit, bulbus rapiformis eſt, qui praeter fibrillas longiores numeroſas, etiam emittit plures radices fuſiformes; inuolucrum vniuerſale nullum, partiale polyphyllum, foliolis duodecim conſtans; huius autem foliola ſetoſa eſſe, ne microſcopii ope videri potuit. Inter *fucos*, quorum plures hic recenſuit, icone illuſtrauit *ſcoparium* ſiue *arboreum edulem* C. B. P. eumque dixit: *fucum hyperboreum fronde ſimplici pinnata, caule longiſſimo.* Caulem habet durum, ſubteretem, tres vel quatuor cubitos longum, craſſitie baculi, infima ſui parte ſaxo vel lapidi adhaerentem; frons ſimplex eſt, terminalis conſiſtentia veſicae bubulae, caule altior, vnum ad duos cubitos lata, pal-
No. 2. 3. mata. In *draba verna* petala bipartita, folia radicalia margine ſubcilicata, ciliis, vt microſcopium docuit, ſaepe bifurcis, et interdum verſus apicem vtrinque vno dente obſoleto notata; in *draba incana* ve-
No. 4. ro petala modo emarginata deſcripſit. *Polypodium, filix mas*, quo ab omnibus vilioribus commode diſcerni poſſit; icone expreſſam dedit bigam pinnarum, monuitque ſimul, huius faciem hilarem, et marginem laminarum vnguiformium integerrimum diſtinctionis praebere adminiculum; alias autem noxiasque inprimis filices, vt eſt *filix femina*,, auſtera et ſuſpecta facie externa, earumque laminas dentibus marginalibus, tanquam atro carbone notaſſe Deum
No. 5. optimum. *Anthoxanthum odoratum* facile quidem, dum floret, ſtaminibus et ſtylis duobus cognoſcitur; aſt autem ſtylis et germini vtrinque adſtat anthera erecta, oblonga, ſubfuſca, ſuperne integra, inferne bifida, et filamentum maxima parte antherae agglutinatum; mutata vero ſcena, filamenta tenuiſſima euoluuntur et e gluma flaueſcente producuntur longiſſima, vna cum antheris verſatilibus vtrinque bifurcis, vt pollinem in ſtigma vtriusque ſtyli poſſint dimittere. Stamina quoque propter longitudinem

ita saepe sibi inuicem implicantur, vt vnum filamentum, duabus antheris instructum, repraesentent. *Ericae vulgaris* calix exterior minimus est, interior vero coloratus et persistens corolla maior; in foliis, potissimum recentibus, ea ad basin sagittata esse, facile adparet. *Spergula aruensis* omnium frequentissime staminum numero ludit, in eadem planta individuali plurimi flores quinque ad nouem, pauciſſimi decem staminibus instructi erant. In *piso aruensi* petioli tetraphylli qnidem sunt, ast infimi diphylli, foliolis oblongis, hinc inde denticulatis; stipulae foliis maiores et inferne extus crenatae; vexillum magnum coeruleſcens, venis saturatioribus pictum, alae obscure purpureae, carina alba, vel leuiter purpuraſcens, facies est pisi satiui, sed omnia minora. *Carex vesicaria* tres profert spicas masculinas, quarum tertia magis distat a secunda breuiore, quam haec a prima longissima terminali; femineae spicae duae sunt pedunculatae, flaueſcentes, capsulis ampullaceis, apice rariſſime bifido. *Gentianae amarellae* flores supremi habent corollam quinquefidam, reliqui omnes quadrifidam, estque maxime affinis *gentianae campestri.* In *lychnide dioica* flores hermaphroditi semel obseruati. *Tamarix Germanica* pertinet ad monogynias et petala fert purpuraſcentia. *Cardamine hirsuta* flores ostendit paruos, albos, caules et folia parum hirsuta, stamina nunc quatuor, modo aequalia, nunc sex, duobus minoribus; semina matura longius diſſiliunt, quam in *impatiente noli me tangere* dicta, licet haec non sit *cardamine impatiens.* *Thymus serpillum* in omnibus speciminibus flores habuit purpureos, et cilia alba vtrinque ad basin omnium foliorum.

No. 15. No. 20. No. 76. No. 89. No. 95. N. 123. N. 152. N. 195. N. 233.

Verum, missis botanicis obseruationibus, properamus ad eas, quae vsum variarum concernunt,

et ex vberrima harum meſſe quasdam etiam produ-
No. 1. camus. *Oſmundae ſtruthiopteris* radix tam cruda, quam
cocta pabulum caprarum, ouium, boumque ſit ſoli-
dum et ſanum, modo non nimia detur quantitate,
No. 4. decocto etiam radicis vituli bene nutriuntur. *Poly-
podium, filix mas*, ſimilem habet radicem, eadem-
que, foeno deficiente vel corrupto, eundem vſum
praeſtat, immo priori, vnanimi oeconomorum conſen-
ſu, praefertur; de hac, et in noſtris terris vulgatiſſi-
ma, planta ſcribit Cl. Auctor: *En egregium, in pe-
nuria foeni, remedium, quo rite adhibito, pecora non
tantum ab interitu praeſeruari, ſed ſane et ſaginari
poſſunt.* Feroenſes radices in cereuiſia coquunt
No. 9. contra calculum. *Polygoni viuipari* radices a pau-
peribus, inprimis Tungenſis in cibum et panem di-
ligenter colliguntur, et ſemina cum lacte coquuntur.
No. 11. *Hippophae rhamnoides* infuſo vel decocto ligni, folio-
rum et florum Bingdalenſes aliique, loco decocti
lignorum officinalium bono ſucceſſu vtuntur, vires-
que hydroticas et diureticas exſerere traditur. Oues
et caprae folia auide deuorant, et a ſpinis probe ſibi
No. 13. cauere norunt. *Saxifraga cotyledon* repudiatur fere
ab omnibus animalibus. Dalenſes foliorum decocto
contra phthiſin tam hominum, quam boum, vtun-
No. 15. tur. *Erica vulgaris* in Norlandia, alio pabulo non
ſuppetente, ad oues et equos alendos adhibetur, et no-
vit quoſdam Cl. Auctor, qui ſolius ericae beneficio,
ante minutim conſciſſae, et fecibus ſpiritus fru-
menti vel alio fluido maceratae, equos ſuos circa duos
No. 20. menſes ſatis bene paſtos, conſeruarunt. *Spergula
aruenſis* auide quidem a capris, ouibus et equis, ſed
non item a bobus appetitur, vt ſollicite exper-
tus fuit Auctor, hinc et laudes ratione ſaginae
boum eidem tributas, potius *ſpergulam pentandram*
No. 22. ſibi vindicare aſſerit. *Daphnis Mezere* corticem af-
fectibus arthriticis externe applicant Dalenſes, iidem-
que ex cortice et baccis vnguentum contra vlcera

ca-

cacoethica parant. *Rumicis criſpi* radicis decoctoNo. 35.
non contra ſcabiem tantum, ſed et contra icterum
vtuntur Tranoenſes, radicem etiam recentem con-
tuſam externe contra ſcabiem vſurpant. *Stachys*No. 70.
ſyluatica, licet foetidiſſima, auidiſſime deuoratur a
bobus et vaccis, et in his lac gignit abundantius,
nec copioſiſſime comeſta lac vlla ratione reddit in-
gratum. Equi plantam vehementer abominantur.
Pedicularis paluſtris dyſenteriae boum, et hydropisNo. 87.
ouium cauſa vulgo dicitur. Aſt, capris exceptis,
intacta relinquitur a pecoribus et iumentis, niſi val-
de famelica, vel aliunde aduecta, eandem cum
damno deuorarent; et in praedio Auctoris, eius-
que vicinia copioſe habitat, nec tamen per ſeptem
annos vlla ouis ibidem morbo periit, vel hydrope
laborauit. *Angelicae archangelicae* caulis crudus,No. 98.
ante floreſcentiam decorticatus, a Lapponibus et
Noruegis auide editur. Folia, etiam radix, in
puluerem redacta, et farinae admixta, a Norlandis
comeduntur. *Sorbi aucupariae* cortex ſalutare boumNo. 99.
ouiumque pabulum, et folia quoque tempore au-
tumni in pabulum hiemale pecudum a bonis oeco-
nomis diligentiſſime colliguntur. Equi a nimio eo-
rum eſu pilos amittunt. *Anthericum oſſifragum* im-N. 136.
pune a bobus deuoratur et praeſertim tempore ver-
no ab iisdem valde adpetitur. *Myrica gale* paupe-N. 142.
ribus in Norlandia inſeruit loco lupuli, nec caput
tentare fertur, ſi decoctum probe fuerit deſpuma-
tum; decocto Norlandi cimices et pediculos pellunt,
et gemmis floriferis lanam luteo imbuunt colore.
Potentilla Noruegica pabulum praebet omni reſpe-N. 145.
ctu praeſtantiſſimum, hinc illam, in arenoſis prae-
ſertim, ſerendam eſſe ſuadet Cl. Auctor. *Sedi*N. 149.
acris decoctum, cum lacte paratum, a Nidroſienſibus
contra ſcorbutum vſurpatur. *Tamarix Germanica*N. 152.
in decocto contra ſcabiem a Dalenſibus adhibetur.

N. 166. *Anemonem nemoroſam* dyſenteriam boum producere
N. 184. Cl. Auctor quoque confirmat. *Eriophoron polyſtachion* primo vere omnia pecora expetunt, hinc et tunc diligenter a ruſticis colligitur, pappo autem exſiſtente, ab omnibus relinquitur intactum. In Dalia ſponſa ex pappo, lana ouilla admixta, ſponſo conficit chirothecas, et puluinaria infantum ruſticorum
N. 179. ex hoc, lana leporina addita, parari ſolent. *Convallariae maialis* foliis et radice pulchro flauo colore
N. 191. veſtes tingunt Nummedali. *Alſine media*, recens contuſa, a ruſticis imponitur furunculis, et pone aures adplicatur ad inflammationes oculorum exſtinguendas. *Lichenem parietinum* cum lacte coquunt Bedſtadienſes, et contra icterum hauriunt, illudque ſumme laudant remedium. Ope huius lichenis veſtes
N. 215. quoque luteo imbuunt colore. *Spiraeam vlmariam* adoleſcentes ruſtici in veſtibus gerunt, vt grato odore ſeſe commendent; ab aliis cereuiſiae induntur folia, cui et odorem et ſaporem gratum conciliant.
N. 306. Boues eandem auide deuorant. *Thlaſpi aruenſis* ſemina ſanguini coagulato reſoluendo et rheumatiſmis ſanandis inſeruiunt. Sed haec ſufficiant; quilibet vel ex his facile perſpiciet praeſtantiam huius florae.

XVIII.

BERNHARD IOSEPH SCHLEISS *der Weltweisheit und Arzeneygelahrheit Doctors, Churpfälziſchen Raths, geweſenen Feldmedici und würcklichen erſteren Phyſici der Stadt und Herzogthums Sulzbach, Abhandlung von Podagra. Nürnberg bey George Peter Monath.* 1767. 8. *2 Alph. 3 Bog. nebſt Vorrede.*

i. e.

Tractatus de podagra. Auctore BERNHARDO IOSEPHO SCHLEISS.

Diſpeſcitur hic liber a Cl. SCHLEISS, qui, vti ex praefatione primae partis apparet, ipſe huius morbi experitur crudelitates, in tres ſectiones, quarum prima pars, aegris podagricis ſcripta, veram et regularem, alteram anomalam et ſymptomaticam, et tertia retrogreſſam complectitur podagram. Prima pars continet, praemiſſa hiſtorica podagrae deſcriptione, eius cauſſas, remedia et diaetam podagricorum ac finitur medicis quibusdam concluſionibus, huc ſpectantibus. In altera parte varii morbi, qui podagram excitant, eamque partim comitantur, partim ſequuntur, vt chloroſis, ceſſatio menſtruorum, hydrops, malum hypochondriacum, ſcorbutus, lues venerea, aſthma, febres, colica, exanthemata ſpectantur. Tertia tandem agit de conuerſione podagrae in varias corporis partes, ventriculi labem, colicam, diarrhoeam, dyſenteriam, inteſtinorum vlcera, calculum renalem, aſthma, catarrhum, tuſſim, phthiſin, tabem, anginam inflammatoriam, apoplexiam, paralyſin, oculorum et aurium, nec non dentium dolores, efficientis. Quae omnia partim ex ſuis, partim ex SYDENHAMI, LISTERI, ETT-

MULLERI, SENNERTI, BOERHAAVE, HOFFMANNI aliorumque obſeruationibus Noſter illuſtrat; plurima vero ex KRÜGERO et MUSGRAVIO deſumta ſunt. Quoniam vero haec vel ex aliis ſunt deprompta, vel nullam produnt nouitatem, eo breviores erimus, et more noſtro de ſingulis tantum videbimus.

P. I. p. 12. Regularis podagra, exeunte ianuario vel incipiente februario, potiſſimum aegros vexat, irregularis autem, tribus calidiſſimis aeſtatis menſibus exceptis, per totum annum apparet. Podagrae omnino cauſſis nominatis, proximam eius cauſſam ponit Noſter in inflammationem neruoſam, quae proficiſcitur a nimia fluidi neruei acrimonia, ſpiſſitudine et ſtagnatione, neruos ob nimiam expanſionem et irritationem, anguſtiam, rigiditatem et fere dilacerationem male afficiente. Quapropter inter cauſſas podagrae Noſter et refert nimium litterarum ſtudium, ſeminisque profluuium, profundas meditationes, ac quicquid neruos debilitare et fluidum nerueum partim imminuere, partim acre reddere poteſt. Quae hac in re explicanda obſcura fluidi neruei cognitio vetat, ea ex dolore, quem ſentiunt podagrici et aliis ſymptomatibus, nec non ex cauſſis, vt nimio veneris exercitio vinique abuſu, ac ex temperamentorum diverſitate, quae cernitur in aucta vel imminuta nervorum tenſione, illuſtrare Noſter annititur.

p. 126. Inter remedia, podagrae opponenda, aduerſus quam nullum facile ſpecificum, ſecundum Noſtri opinionem, poterit reperiri, antequam fluidi neruei natura eſt detecta, conſideratur camphora, ac quaeritur: numne eius neruina vis ad huic morbo medendum aliquid conferre poſſit? Atque hoc Noſtro ideo in mentem venit, cum viderit, camphoram, externe applicatam podagricis aegris, facile ad interna viſce-

ra

ra pellere podagram. Narrat enim exemplum, vbi camphorae externus vſus podagram in ventriculum coniecerat, et cum medicus, retropulſionem podagricae materiei intelligens, camphoram ventriculo applicuerit, podagra pedes iterum occupabat. Porro vires electricae ac magneticae contra hunc morbum dignae cenſentur, quae diſquirantur.

Podagram anomalam dicit Noſter eum mor- P. II.
bum, qui magnam quidem habet cum podagra con- p. 162.
venientiam, attamen ſecundum originem ac ſedem differt e. g. rheumatiſmum. Symptomatica vero ita definitur, vt ex alio morbo, qui partim adhuc adeſt, partim antea adfuerat, oriatur, v. c. podagra ex chloroſi, ceſſatione menſtruorum, hydrope, mittimus alios. Scorbutica podagra dum a Noſtro perſequitur, in ſcorbutum inquirit variaque de putredine ſecundum Cl. PRINGLE addit inſimulque miratur, ſcorbutum, morbum inprimis caſtrenſem, germanice *Schaarbock* appellari, cum tamen abdomen primum ab eo occupatur, ideoque ſuadet, ſcorbutum potius germanice *Schaarbauch* eſſe nuncupandum. Si aſthma ſymptoma eſt ſymptomatis diſſuadet venaeſectionem. Quod ſi vero a conuerſione podagricae materiae ad pectus ipſum proficiſcitur, ad venaeſectionem properandum eſſe monet. Febres ſequi ſaepenumero podagram, probat Noſter exemplo, vbi vir quinquagenarius, febre intermittente et per nonnullos annos reuertente, laborans, podagra, qua antea nec ille, nec eius cognati affecti fuerunt, ab iſta febre eſt liberatus, ac monet, in eiusmodi pertinacioribus febribus intermittentibus ſaepe attendendum eſſe arthritidem, ſiue per haereditatem, ſiue per inordinatam vitae rationem ortam, et, ſi inde proficiſcuntur, potius ad arthritidem, quam ad febrem in medela eſſe reſpiciendum. Dolores in

inte-

inteſtinis in vniuerſum colicam, appellat Noſter, nec raro eam a podagra oriri, ideoque ſedulo in modela ad eam ſpectandum eſſe monet. Qua occaſione commemoratur exemplum pueri mortui, cuius aluus per quinque annos non fuit aperta, caetorum nulla, debilitate ac infirmitate corporis excepta, ſenſit incommoda. Dolemus vero, Noſtrum non plura dixiſſe de hoc ſatis ſingulari aegri ſtatu, ſectionisque relationem addere forte non potuiſſe.

P. III. p. 332. Tertia pars metaſtaſin podagricam complectitur, ac primum quidem methodum, podagram in internas partes conuerſam, ad externas partes reuocandi, praecipue a MUSGRAVIO traditam, Noſter repetit. Tum ſingulae corporis partes, quas occupauit podagra ſpectantur. Atque in angina inflammatoria, quae partim cum, partim ſine tumore et aſthmate apparebat, a retrogreſſa podagra nata, applicationem cucurbitularum, vti HAENIUS iam laudauit, et per quos vlcuſcula externa excitauit ac ſubitaneum expertus eſt auxilium, imo, ſi opus eſt, tracheotomiam ſuaſit. In dyſenteria et vlceribus inteſtinorum externum vſum laudani liquidi SYDENHAMI, temporibus, naſo et linguae illiti, ad excretionem hanc moderandam, nec nimis promouendam, nec imprudenter ſedandam commendat.

XIX.

Gli Atti dell' Accademia delle ſcienze di Siena detta de Fiſio-critici Tom. II. in Siena appreſſo il Bonetti nella ſtamperia del Pubblico l'anno 1763. 4to mai. Alph. 1. pl. 16. tab. aen. 9.

h. e.

Acta Academiae ſcientiarum Senenſis Phyſico-criticorum Tom. II. ad annum 1763.

De inſtituta academia Senenſi alia data ocaſione diximus cum Tomum primum in quo potiſſimum de inſitione variolarum obſeruationes tradebantur, indicaremus *). Nunc vero ad recenſionem ſecundi tomi progredimur, in quo ſequentia inuenimus.

1. *Tentamen obſeruationum ſuper res quasdam naturales in Prata et aliis locis, maritimis*, della maremma *ditionis Senenſis* Auctore IOSEPHO BALDASSARRI M. D. et Prof. Publ. Hiſtoriae naturalis. Iter in has partes ſuſcepit anno 1762 et primo cuprum, ſulphure et ferro mineraliſatum, deſcribit, quod in cuniculis ad riuum Merſa vicinis effoditur. Matricem inuenit et quarzum et terram argillaceam induratam, et vitriola, quae ibi generantur, partim ex ferro, partim ex cupro, vel ex his demum mixtis oriuntur. His et aliis foſſilibus, ibi inuentis, fuſius deſcriptis, nonnulla corollaria ſubiungit, v. c. aquam non ſolum in animalibus et vegetabilibus, ſed et in mineralibus partes, his formandis idoneas, cogere, quod non ſolum in ſtalactite, ſed et in aliis concretionibus regni lapidei probat. Metallicae cupri et pyritis p. 1. p. 10.

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XII. Part. I. p. 145.

tis partes in molli et tenera argilla ita condenſantur, vt, accedente ſucco lapidifico quarzi, indurari poſſint. Arbitratur enim, quarzum et cryſtallum montanam habere baſin argillaceam, cui ſe iungit acidum minerale et terra quaedam ſingularis: inuenit enim particulas teneras quarzi, in terra argillacea natas, et cryſtallum montanam in ſimili terra argillacea. His ſubiungit varia de vitriolo albo et zinci ortu.

p. 17. Progreditur ad furnos deſcribendos, in quibus variae minerae, inprimis cupri, coquuntur: de horum autem fabrica pauca refert, ſed potius de regeneratione vitrioli in his furnis varia immiſcet. Paulo poſt terram viridem et coeruleam deſcribit, quae ex ſtillicidiis aquarum naſcuntur, et cuprum ſolutum vel corroſum praecipitatum viride et coeruleum, ceu veras cupri ochras exhibet, et ſententias variorum Auctorum ſuper hac re enarrat.

p. 31. Varia nunc de lacubus proponit, in quibus aquae ſulphureae ebulliunt, hae acidae indolis interdum clarae, interdum turbidae ſunt. Notatu vero dignum eſt, quod in his lacubus et calidae et frigidae aquae ſimili ratione ebulliant, cum magno ſtrepitu in vtrisque percepto, ex prioribus copioſi fumi albi, calidi et humidi ſurgunt, et aquae in easdem aperturas recedunt, ex quibus prodierunt. Etſi vero fermentationes frigidae et calidae a chemicis indicantur, tamen cum in vtrisque aquis ſimile acidum inueniatur ideoque ex particularum componentium indole haec res explicari nequeat, veram huius phaenomeni rationem Noſter definire non audet. Subiungit

p. 41. porro alias minerarum, ibi inuentarum, deſcriptiones et ſub finem aliquas plantas, ibi creſcentes, deſcribit, ex quibus cardamine maior hellebori nigri folio, flore purpureo, radice nodoſa, noua videtur, attamen non ſatis deſcripta.

2. *Analyſis phyſico chemica aquae mineralis, quae ex monte Senae vicino erumpit et aqua Borra appellatur.* Auctore EODEM. Hae aquae, quarum etiam BACCIUS et alii mentionem faciunt*) in curandis morbis grauioribus ante hac exhibitae, nunc ferme neglectae, ab incolis vicinis tantum in vſum ducuntur. Ex monte propullulantes, copioſum tartarum deponunt, quo aperturae ſaepe clauduntur, aliis tamen vicinis denuo apertis. Vera aqua thermalis eſt, etſi interdum non adeo calida proſiliat, clara et tranſparens eſt et ſulphuris odorem ſpargit, ſaporem ſalis marini refert, cui tamen aliquid lixiuioſi ſubeſt. Hinc diu detinetur in alcali minerali inquirendo et cum vegetabili comparando. In aquis ipſis triplex ſal, nimirum marinum, alcalinum et aliquod amarum ſingulare commemorat, ſalis tamen GLAUBERI mentionem quoque facit, ſimili ratione poſtea inquirit in ſpiritum acidum mineralem volatilem, in ochram ferri, ſal ſeleniticum, omnem tamen diſquiſitionem harum aquarum, vt nobis videtur, non abſoluit. p. 44.

3. *Analyſis thermarum St. Caſſiani.* Auctore Cl. OCTAVIO NERUCCI Prof. Publ. Med. Theoret. Senenſi. Prouocat ad ea, quae HOFFMANNUS de aquis medicatis in vniuerſum et de nunc deſcribendis Cl. BASTIANI propoſuerunt, quibus figmenta de ingredientibus variis partibus metallicis refelluntur. Etſi vero ex profundioribus cryptis ſcaturigines prodeunt, et perpetuus affluxus obſeruatus eſt, tamen ſuperiora terrae ſtrata, inprimis cretacea, non tamen ſemper alba, ſed coloribus variis tincta commemorat. Ex variis locis propullulant aquae quae duodecim balneis coercentur, ex quibus aqua, interno p. 79.

*) Prodiit de iis libellus ſingularis LEANDRI TERRUCCI Sienae 1647.

interno et externo vſui deſtinata et per embrochen quoque applicanda, depromitur.

p. 83. Summam aquae claritatem ſpiritui acido deberi contendit Noſter, et quanquam inſipida videtur, aliquem tamen ſtimulum, ex hoc ſpiritu volatili pendentem, linguae imprimi monet, quod etiam de odore non vehementi quidem, ſed quodammodo ſulphureo, valet. In calida aqua ſpecifica grauitas, hydrometro inuenta, minor eſt, quam in fri-

p. 93. gida duobus circiter gradibus. Ex variis itaque tentaminibus inſtitutis concludit, ſedimentum, poſt euporationem relictum, et terram alcalinam et aliam terram ſalinam continere, prior vero, cum ſale ammoniaco trita, odorem vrinoſum non prodit, altera cum ſale ſelenitico conuenit.

p. 100. 4. *Methodus vtendi aquis St. Caſſiani in Senenſi ditione.* Auctore IOSEPHO NENCI Med. Prof. Publ. Epiſtoia latina eſt, quam ad amicum quendam ſcripſerat, cum ad aquas has ſe conferret. Volatili ſpiritu praeditas aquas viſcera penetrare et humorum concretiones ſoluere, in vniuerſum monet; in imbecillis nec validas euacuationes ſanguinis, nec purgantia fortiora ad praeparationem commendat, et porro oſtendit ab initio copiam aquae non ingurgitandam eſſe, parcam enim doſin ſufficere, quae ſi per aluum et renes non protinus tranſit, per euacuantia non ſtatim promouenda eſt; continuato enim et ſubinde aucto aquarum vſu, effectum tandem ſuccedere ſperat; validas purgationes interdum iis vtiles eſſe concedit, qui viſcera, lenta bile et viſcida pituita obſeſſa, habent. Optimum non raro eſſe affirmat, ſi aquae non ſubito tranſeunt, ſed quodammodo reſiſtunt, et humores reſoluunt, quando vero vel ex parte vel copioſe effluunt, tunc aegrum iure vitulino vel recenti lacte vti poſſe, quo vires inſtaurentur.

rentur. Externum quoque balnei vſum temperatum eſſe debere vrget, idque non tantum in ſucceſſiua immerſione corporis in balneum eiusque duratione, ſed etiam in embroche.

5. *Obſeruationes ſuper declinatione acus magneticae.* Auctore Cl. IOSEPHO ASCLEPI e S. I. Lector Matheſeos in Collegio Romano. Haec tentamina Romae inſtituta ſunt, obſeruationibus in tabulas diſpoſitis, variisque monitis paſſim ſubiunctis. p. 107.

6. *Reſponſio ad ſextam quaeſtionem, quam* Ill. NEUTONUS *in ſua optica propoſuit.* Auctore Cl. D. CANDIDO PISTOI. Reſorptionem lucis a colore nigro et augmentum caloris declarare annititur. p. 126.

7. *Porta harmonica.* Auctore Cl. MILLER. Proponit inſtrumentum, artificioſe conſtructum, ad ſonorum differentias recte definiendas inuentum. p. 132.

8. *Tentamen phyſico mechanicum de reſiſtentia murorum contra terrae concuſſiones.* Auctore ANTONIO LORGNA Prof. Math. in collegio militari Veronenſi. p. 155.

9. *Hiſtoria medica, ſiſtens deſcriptionem morbi, morte terminati, cum cadaueris ſectione.* Auctore FERDINANDO MANOTTI Doct. Med. ANDREAS ARRIGHI ſocius academiae Senenſis anno nonageſimo ſecundo ſeculi ſuperioris natus, procerae ſtaturae, corpore tamen gracili et fibra ſenſili praeditus, literarum ſtudiis maxime delectatus, ac anatomiae profeſſor, et his laboribus et cura aegrorum ſollicite ſuſcepta, corpus infirmum reddidit, p. 176.

arthriticis praeterea et nephriticis doloribus, nec non cephalalgia, cum ſenſu frigoris in capite, crebrius affectus, multis vel ſuo ſtudio inuentis vel aliis ſpecificis, ab impoſtoribus quoque laudatis, medicamentis ſine fructu vtebatur. Hic incidit tandem in morbum conuulſiuum, quo ita conficiebatur, vt maſticandi vi ſimul deſtitutus, victu tenui tantum conſeruandus eſſet. Vino tamen nimium vſus eſt, quo etſi morbus intendebatur, ſomnum tamen ſibi inde conciliari obſeruauit. Tam triſti morbo per diuturnum tempus tolerato, anno 1760 febriles motus acceſſere, hisque ſopitis, alia incommoda, ex gangraena partiali ad os ſacrum, nec emplaſtris, nec corticis Peruuiani vſu ſatis compeſcenda, quibus tandem menſe ianuario ſequentis anni confectus, diem obiit ſupremum.

p. 181. Ex ſectione cadaueris, quam Cl. Auctor non ſolum proponit, ſed etiam cum aliis Auctorum obſervationibus confert et, notis additis, illuſtrat, ſequentia annotemus. In infimo ventre viſcera principua in vero ſitu ſine labe deprehendebantur, veſicae vero vrinariae cauum vlceribus obſeſſum; vreteres, valde dilatati, calculos quosdam ſat duros continebant, et in veſicula fellea copioſa, ſed prorſus nigra bilis inuenta eſt. In thorace auricula cordis dextra duplo maior, et pulmones poſterius accreti ac gangraenoſi inueniebantur. In capite dura mater caluae fortiter adhaeſit, et in falciformi proceſſu, intra hemiſphaeria dimiſſo, duo oſſicula impacta erant, quae Tab. VII. delineantur, maius, pollicis et vndecim linearum longitudinem referebat, oblongum in extremis acutum, alterum minus quinque linearum erat. Haec, etſi in ſubſtantiam cerebri impreſſa non erant, doloris tamen capitis, per triginti annos tolerati, cauſſae exiſtimantur.

10. *Mors repentina ex diſrupta ſplenica arteria*, obſeruatio Cl. IOSEPHI NENCI. Vir hypochondriacus vita ſedentaria cum animi contentione coniuncta infirmitates corporis vniuerſi ſibi contraxerat. Hic inter alia crebrius ſenſit dolorem tenſivum ad lumbos, qui aliquoties venaeſectione ſat larga imminutus eſt. Etſi vero diaetae regimen recte ſeruabat, niſu tamen in corpore vertendo facto, ſubito mortuus eſt. In ſectione cadaueris pars aortae ad primam lumborum vertebram, et coeliaca non ſolum, ſed praecipue arteria ſplenica, aneuryſmate ad pugni magnitudinem diſtenta et tandem rupta, effuſa magna ſanguinis copia, mortis repentinae cauſſa exſtitit. p. 195.

11. *Deſcriptio grauioris capitis laeſionis, ad interuas partes deductae.* Auctore Cl. ANGELO MUNCINI Prof. Chirurg. Vir quadraginta circiter annorum vehementi capitis percuſſione ita laeſus eſt, vt non tantum amplum integumentorum vulnus, ſed fractura caluae, a ſiniſtro latere ſuturae ſagittalis retrorſum tendens, fractis particulis depreſſis, obſeruaretur. Etſi vero debita cura per aliquot dies neglecta eſt, tamen, cum ab initio et ex naribus et ex vulnere magna copia ſanguinis effluxerit, chirurgus, qui poſt aliquot dies demum aegro opem tulit, oſſium partibus remotis, effluxum ichoroſae materiae temperauit, quo facto, et ſuppuratione bona ſuccedente, vulnus depuratum et cicatrice obductum eſt. p. 198.

Addit Cl. IACOBUS BORSELLI Med. Doct. conſiderationem de inſenſibilitate menyngum, quae in hoc aegro et dilaceratae et in tollendis oſſibus maxime irritatae fuerunt; qui tamen profeſſus eſt, ſe nullum vnquam percepiſſe dolorem, etſi ſentiendi facultas primis poſt inflictum vulnus horis tantum ſuppreſſa, poſtea ſemper conſtans fuerat. p. 200.

p. 203. 12. *Relatio de impacta pali parte ad infimum ventrem.* Auctore Cl. ANTONIO PHILIPPO LANDI. Palus, oliuae ſuſtinendae alligatus, viro triginta nouem annorum, ex hac arbore cadenti, ita impactus eſt, vt a genitalibus inter integumenta et muſculos infimi ventris ad vmbilicum vſque penetraret, ibique fractus, poſtea difficulter extrahi poſſet; hoc autem facto, et inflammatione, nimia ſanguinis miſſione, conſopita, blanda ſuppuratio ſucceſſit, et cauum, faſcia circulari abdomini applicata, compreſſum coaluit.

p. 207. 13. *Relatio de fractura tibiae et fibulae cum dislocatione malleolorum.* Auctore EODEM. Vir quadraginta ſex annorum melancholicus ex aedibus praecipitem ſe dederat, et praeter alias leuiores laſiones, ſiniſtri cruris oſſa ſub genu tam vehementer fregerat, vt malleoli ſimul dimoti eſſent; inflammatione per ſanguinis miſſionem et purgantia antiphlogiſtica ſopita, oſſa diffracta et diducta ita tamen in verum ſitum reduci poterant, vt aeger plane reſtitui poſſet.

p. 210. 14. *Deſcriptio delirii, et detecti poſt mortem humoris, in cerebro haerentis.* Auctore VINCENTIO GALLI Chirurg. Prof. Senenſi. Vir quadraginta annorum habitu corporis ſano praeditus, ſed vino nimium deditus, a cephalalgia vehementi, venaeſectione inſtituta, liberatus, breui poſt in eundem incidit morbum, ita vt, febre etiam accedente, vertiginoſus, loquendi et deglutiendi facultate deſtitueretur. Omnia auxilia tum fruſtra tentata ſunt, acceſſit potius delirium vehemens, et die nono morbi mortuus eſt. Calua remota, menyngum inflammatio et copia ſeri in ventriculis haerentis obſeruabatur, in dextro praeterea ventriculo tumor a thala-

me

mo nerui optici vſque ad corpora ſtriata extenſus, oui gallinacei maioris magnitudine inueniebatur, cuius ſuperficies inaequalis, interna ſubſtantia vero denſa et cinerei coloris erat.

15. *Relatio chirurgica de hernia inteſtinali completa incarcerata, operatione recte curata.* Auctore EODEM. Vir viginti ſeptem annorum hernia ſcrotali eaque incarcerata laborans, aluo ſimul pertinaciter obſtructa, non niſi operatione chirurgica ſanari poterat, quam Cl. Auctor adminiſtrauit. Non ſolum vero ſeri copia, tumore inciſo, effluxit, ſed aliqua etiam pars inteſtini ilei liuida inuenta eſt. Inteſtinum tamen reponere auſus eſt Noſter, annulo non nihil dilatato, ſutura pellionum vulnus conſtrinxit et debito apparatu et faſcia muniuit. Alui quidem euacuatio non protinus ſucceſſit, febrisque potius aucta eſt, poſt largam tamen ſanguinis miſſionem et epithemata diſcutientia, abdomini applicata, non tantum aluus ſoluta, ſed etiam vera ſanatio die decimo quinto ſubſequuta eſt. p. 213.

16. IANI PLANCI Ariminenſis *de duplici tethyi genere et de manu marina ad* PIUM IANNELLIUM Senenſem, Academicum Phyſico criticum. Prima Auctoris Cl. obſeruatio verſatur circa *Alcyonium aurantium* PALL. *zoophyt.* p. 357. ſiue *Alcyonium* (*lyncurium*) *globoſum*, *fibroſum*, *flauum*, *verrucoſum* LINN. *Syſt. Nat.* Ed. XII. Deſcribit vero illud Cl. Auctor ſub nomine tethyi plerumque ſphaerici, malum aurantium Luſitanicum forma et colore referentis, quod horizontaliter diſſectum, fibras radiatas oſſeas oſtendit. Non vti DONATUS *) p. 217.

*) Vid. EIUSD. *Saggio della ſtoria naturale marina dell' Adriatico* Venet. 1750. tab. 10. p. 60. Ex eo etiam hanc ſententiam adſumſit Ill. LINNAEUS in *Syſt.* l. c.

perhibet, in iuuentute tantum fixum eſt, et poſtea libere per mare vagatur, ſed ſemper baſi ſua ſcopulis adhaeret; quae enim eiusmodi corpora ſoluta reperiuntur, ſemper in baſi lacerata deprehenduntur. Ob fibras radiatas oſſeas hoc alcyonium ſimilitudinem quandam cum belemnitis habet, licet haec petrefactorum ſpecies magis oblonga ſit, vt itaque ex hac obſeruatione origo belemnitarum forte quodammodo
p. 219. illuſtrari poſſit. Secunda obſeruatione *Tethys coriacea* BOHADSCHII *) deſcribitur, ſeu *Aſcidia (papilloſa) ſcabra tuberculis coccineis* LINN. Haec penem virilem cum ſcroto refert, et vt reliquae aſcidiae binas aperturas, quarum altera humilior eſt, habet, Internae huius animalis partes, inprimis ventriculus, aquam marinam continens, tunica muſculoſa inſtru-
p. 222. ctus, deſcribuntur et delineantur. Vltima tandem obſeruatione deſcriptio *palmae* ſeu *manus marinae* exhibetur, cuius etiam figura ſatis rudis adiecta eſt, Eſt hoc *Alcyonium palmatum* PALLAS l. c. ſiue *Alcyonia exos* LINN. In eo tubulos perpendiculares rectos aquam marinam continentes Cl. PLANCUS reperit. Animalem naturam huius zoophyti plane negat, et vti MARSILIUS, flores deſcribit ſex ſtaminibus rubris conſtantes. Cl. GINANNI T. I. *Opuſc. poſth.* **) p. 45. primum huius zoophyti figuram exhibuiſſe Noſter autumat, qualem tamen iam apud MARSILIUM et BARRELIER reperiri, ex Cl. PALLAS libro citato patet.

p. 225. 17. *Obſeruationes de pluuia in vrbe Sena ab anno 1755 ad annum 1763 delapſa* tradit Cl. IOSEPHUS ASCLEPI

*) Vid. opus EIUSDEM *de quibusdam animalibus marinis eorumque proprietatibus.* Dresd. 1761. Cap. VII. tab. 10. f. 1. p. 129. Comment. noſtr. Vol. XI. p. 517.

**) Vid. Comment. noſtr. Vol. V. p. 113.

ASCLEPI in tabulis ſecundum ordinem annorum et menſium adornatis.

18. *Problema geometricum ſolutum* a D. CANDIDO PISTOI. p. 235

XX.

Inſtituts de chymie ou principes élémentaires de cette ſcience, préſentés ſous un nouveau jour. Par Mr. DE MACHY, M. Apothicaire, Demonſtrateur de chymie et Membre de l'Académie Royale des Sciences de Berlin. A Paris aux depens de Lottin le Jeune. 1766. Alph. 2. Pl. 14.

h. e.

Inſtitutiones chemiae, ſeu principia huius artis. Auctore Cl. DE MACHY. etc.

Ex tribus partibus librum hunc compoſitum deprehendimus: in prima parte chemia phyſica, in ſecunda chemia analytica, inque tertia chemia, artibus applicata, traditur. In chemia phyſica chemiam in genere eiusque obiectum et ſcriptores, opiniones veterum et recentiorum de origine et formatione corporum naturalium, porro formationem corporum, eorumque exiſtentiam et producta, motum eiusque effectus, fluiditatem, grauitatem et penetrabilitatem, nec non affinitatem conſiderat Cl. Auctor. In chemia analytica primo de operationibus et inſtrumentis agit, deinde de vegetabilibus eorumque analyſi, melle, cera et fuligine, nec non productis aquoſis, ſalinis, inflammabilibus et terreſtribus, porro de fermentatione et productis fermentationis, tum de animalibus, ſanguine,

vrina et putrefactione, nec non productis regni animalis exponit, tandem analyſin mineralium exhibet, atque originem et formationem mineralium, terras et lapides, pyrites et bitumina, acida in genere, vitriola, alumen et ſulphur, ſal marinum et nitrum eorundemque acida, ſemimetalla ac metalla, tandemque aquas minerales conſiderat. In vltima parte, chemia nimirum artibus applicata, varias methodos recenſet Noſter, quibus variae operationes chemicae, vt fermentatio et deſtillatio, cryſtalliſatio et praecipitatio, amalgamatio et calcinatio, fuſio atque vitrificatio inſeruiunt, quibus demum ſumma totius operis ſubnexa eſt.

Theoriam nouam hic proponere ſibi perſuadet Cl. Auctor, in qua tamen deprehendimus, vtiles in ea res verbis nimis prolixis et rationibus nimis hypotheticis explicatas eſſe, licet quoque alia, certe non pauca, ſint, quae breuiſſimis indicata, amplioremlonge expoſitionem deſiderare videantur. Audiamus igitur, quae ſint fundamenta, quibus noua haec theoria nititur.

P. I. p. 22. Nullum corpus, vt oſtendere anniſus eſt Cl. Auctor, exiſtit absque *praeexiſtentia* aliorum corporum, nullumque ſe euoluit, niſi id, quod euolutioni inſervit, *indifferens et fluidum* ſit. Fluidum hoc, dum ſit corporum illorum pars conſtituens, mutationem patitur, quae ſimilis eſt fermentationi, qua facta, quatuor ſpecies partium conſtituentium producuntur. Itaque tria genera principiorum aſſumit Cl. Auctor, primo *materiam indifferentem et fluidam*, deinde *corpora iam formata*, quae eam ſibi aſſimilant, tandem *partes horum corporum productas*, fluidas nimirum, ſapidas, viſcoſas ſolidasue: ex quibus numerum inſimul productorum, per analyſin obtinendorum, patere, omniaque producta aquoſa, ſalina, lucida et ſolida eſſe, aſſerit. Materiam hanc indifferentem et

et fluidam in ſola aqua ſe reperiſſe, eamque ab atomis iam determinatis ſeu praeexiſtentibus per motum fermentatitium aſſimilari ſicque corpora produci, Noſter autumat. Materia haec indifferens et fluida, ſecundum Noſtri ſententiam, corpora alluit, ſeque per tubos, capillaribus ſimiles inſinuat, et euolutioni, incremento, conſeruationi et facultati producendorum corporum primorum, quae cauſam immediatam exiſtentiae corporum naturalium ſiſtunt, occaſionem praebet. Motus, quo id fit, *progreſſiuus* vocatur. Alius motus dicitur *centripetus*, qui cognoſcitur, ſi materia illa indifferens cum ſubſtantiis iam exiſtentibus ſe coniungit, duasque moleculas diſtantes adunat. Alius demum motus nuncupatur *centrifugus*, ſi moleculae vnitae ſeparantur, dum materia illa indifferens ſe ſubducit et aufugit. Sed haec ſufficiant; notiones fluiditatis, grauitatis, penetrabilitatis et affinitatis, a Noſtro explicatas, lubenter praetereamus; alia pauca tamen, hinc inde depromta, communicemus.

Oleum eſſentiale, quod nonnullae aquae deſtil- p. 211.
latae continent, vel ſuſpenſum vel ſolutum iis inhaerere, lacteumque colorem, ab oleo ſuſpenſo pendentem, ſi oleum ſenſim ſeparetur, ceſſare, ſolutum vero oleum vel mediante acido, aquae inhaerente, vel eo ipſo, quod ad mixtionem olei pertineat, ineſſe, Noſter putat.

Spicula ſalina, in alcalibus fixis poſt deliqueſcen- p. 226.
tiam deprehendenda, non ab acido aereo, ſed ab acido illo, quod partem alcali conſtituat, et ab inuolucro liberatum, in alcali ſuperſtes nunc agat, formari, aſſerit.

Extracta, quae aquae ope ex vegetabilibus obti- p. 234.
nentur, partes quidem mucilagineas, reſinoſas, ſalinas, aliasque non mutatas continere, pro partibus tamen conſtitutiuis neutiquam habenda, producta deſtructorum vegetabilium eſſe, autumat.

p. 282. Spiritus vini, ſaepe rectificatus, a Noſtro pro optimo non habetur; laudatur vero et optimae indolis eſſe dicitur, qui calore leni primus prodit, odorem gratum habet, agitatus, nullam ſpumam excitat, aerique expoſitus, ſubito euaneſcit.

p. 296. Terram foliatam tartari, quae ſubſtantiis reſinoſis aliisque admixta efficit, vt copioſius in ſpiritu vini ſoluantur, has ipſas eo diſponere, vt poſtea ex ſpititu vini per affuſam aquam neutiquam praecipitentur, Noſter perhibet.

P. II. p. 359. Terra quaeuis, in globo noſtro reperiunda, ortum, vt Noſter putat, deſtructioni vegetabilium et animalium debet, omnisque earum differentia provenire Ei videtur 1) a natura indiuidui, ex quo producuntur; 2) a modo, ſecundum quem formatae ſunt; 3) a loco, in quo deſtructio facta eſt; 4) a modo, ſecundum quem terrae, iam exiſtentes, vniuntur; 5) ab influxu aquarum et ſubſtantiarum ſalinarum in has terras. Prima terra, ſenſibus vbique obuia, ea Noſtro eſt, quae partibus vegetabilium deſtructorum, per lentam putrefactionem inuerſis, plena eſt, et humus dicitur. Praeter hanc ad tres tantum ſpecies attendit, nimirum 1) ad argillam; 2) ad terram vitreſcibilem; 3) ad terram calcarem. Terra argillacea ex humo per aquam ſaepe p. 361. abluta et ab acido magis liberata; terra vitreſcibilis p. 366. per combuſtionem vel putrefactionem vegetabilium p. 368. produci, terraque calcarea ab animalibus ortum ducere ib. Noſtro videtur.

p. 376. Lapides diſſolutioni dictarum terrarum, per acidum vitrioli aut ſalis communis factae, ortum debere, Cl. Auctor aſſerit, eorumque ſex ſpecies enumerat 1) lapides argillaceos, ſi argilla ab acido vitriolico ſoluatur; ſic ſchiſtum formari; 2) ſin vero ab acido ſalis ſoluatur argilla, lapidem ſuillum oriri, putat; 3) lapides gypſeos, talcum et micam produci

duci dicit, ſi terra calcarea ab acido vitriolico ſoluatur; 4) ſpathi vero ſpecies, ſi eadem terra ab acido marino ſoluatur; 5) lapidem Bononienſem et ſpathum fuſibile formari autumat, ſi terra vitreſcibilis ab acido ſalis communis ſoluatur; 6) quarzum vero, cryſtallum montanam etc: ſi eadem terra ab acido vitriolico ſoluatur.

Pyrites in argilla formari, acidumque, iis inhaerens vel vitriolicum vel ſalis communis acidum eſſe, iisdemque ſulphur nullum inhaerere, ſed, ſi pyrites in vaſis clauſis ignis ope diſquirantur, ob deſtructionem partium vegetabilium et animalium, pyritis inhaerentium, et ob producendum inde carbonem, cum quo vitriolicum acidum coniungatur, ſulphur demum produci, aſſerit. Pyrites ſulphureas vocat, quibus acidum vitrioli ineſt, arſenicales autem, qui acidum ſalis habent. p. 383.

Bitumina ex ſuccis vegetabilium reſinoſis et acido vitriolico vel acido ſalis, oriri, oſtendere annititur. p. 389.

Ex bituminibus interdum alcali volatile obtineri, ſed non niſi eo in caſu, ſi bitumina terra calcarea abundent, autumat; ſal vero acidum, ex iis obtinendum, plerumque indolis ſalis marini eſſe, raroque acidum ſulphureum obtineri, perhibet. p. 393.

Pyrites ex acido, ſubſtantia vegetabili vel animali carbonaria, terris metallicis, diuerſimode attenuatis, aliisque terris animalis vel vegetabilis proſapiae formari Noſtro videntur. p. 409.

Acidum vitrioli glaciale minus concentratum, quam concentratiſſimum acidum vitrioli, ſub fluida forma obtinendum, ſed tantum a baſi metallica, per ignis violentiam extracta, fixum factum eſſe, Noſter innuit. p. 421.

Aether et naphtha vitrioli Noſtro ſynonyma ſunt, et liquor anodynus Ei dicitur, ſi oleum vini et aether cum ſpiritu vini deſtillato miſceantur. p. 424.

Ab

p. 459. Ab acido vitriolico et acido ſalis omnia reliqua acida produci: ab acido nimirum vitriolico tartarum eſque analoga acida, et ab acido ſalis acidum nitri et acidum ſalis microcoſmici oriri, putat.

p. 508. Terra, in ſemimetallis deprehendenda, diuerſa quidem Noſtro videtur, ita tamen, vt in vnius alterius-que terra ſemper analogiam cum terra quadam metalli reperiri, putet. Sic zincum cum ſtanno, niccolum cum cupro, platina cum ferro, cobaltum cum argento, antimonii regulus cum mercurio, quoad terram, analogiam habere dicuntur. Auro tamen nullum ſemimetallum analogum reperiri, autumat.

XXI.

Procédés chymiques, rangés methodiquement et definis. On y a joint le précis d'une nouvelle table des combinaiſons ou rapports: pour ſeruir de ſuite aux inſtituts de chymie. Par Mr. DE MACHY etc. A Paris, chez Lottin, le Jeune. 1769. 8. Pl. 19 c. tab. aenea.

h. e.

Producta chemica, methodice coordinata et deſcripta, quibus ſubnexa eſt ſumma tabulae nouae combinationum ſeu affinitatum: inſtitutionibus chemiae inſeruientia. Auctore Cl. DE MACHY. etc:

In hoc opuſculo non niſi deſcriptiones productorum naturalium et chemicorum communicat Cl. Auctor, ita, vt, productis regni vegetabilis deſcriptis, productorum regni animalis, nec non minera-lis deſcriptiones ſubiungat. His artium nonnulla-rum,

rum, quibus chemia inſeruit, nec non productorum chemicorum, in quauis arte vtilium, deſcriptiones ſubnectit; vltimo tabulam affinitatum, nouam, vt putat, et correctam, tradit. Quod ad ipſas deſcriptiones attinet, complures earum ita comparatas deprehendimus, vt veras rerum notiones exhiberent, alias tamen omni dubitatione maiores non eſſe, aliasque incompletas perſpicuitate indigere, arbitramur. Exempli loco nonnullas harum deſcriptionum ſubiungamus.

Spiritus rector rorismarini Noſtro dicitur aqua vegetationis, quae partes, maxime attenuatas, huius plantae ſecum tranſuexit. p. 1.

Spiritus rorismarini alcalinus eſt alcali volatile, durante deſtillatione, productum et a pauco phlegmate ſolutum; purum non niſi vltimo et maximo ignis gradu aſcendit, eoque tempore, dum tranſgreditur, plurimum aeris ſe euolvit aut producitur. p. 3.

Aqua vitae Noſtro eſt productum artificiale fermentationis vinoſae, quod, dum ebullire incipit, tum demum generatur, et attenuationi maiori partium acidarum, mucoſarum et phlegmaticarum, quae fermentationem ſubierunt, originem debet. p. 20.

Spiritus vini Ei dicitur ea aquae vitae portio, quae, excitato iterum calore, quam maxime attenuata obtinetur, quaeque phlegma aliasque partes craſſiores relinquit. p. 21.

Spiritus vini rectificatus nominatur, ſi ſpiritus vini denuo cum vel ſine additamentis deſtillatur. p. 21.

Albumen ouorum a Noſtro vocatur ſubſtantia gelatinoſa, quae terrae calcareae, in acido, valde diluto, ſolutae, originem debet. p. 33.

Bilis dicitur ſapo naturalis, qui ex ſubſtantia oleoſa et alcali ſalis marini oritur. p. 41.

Ambra gryſea vocatur ſubſtantia animalis, cuius odor ſuauis eſt, quam alii pro bitumine, alii pro producto animali habent. p. 43.

Aqua calcis viuae eſt aqua, quae cum ſibilo et calore calcem viuam penetrauit, et portionem ſalinam et al-

ca-

p. 96. calinam continet. *Platina* eſt ferrum arſenicale, quod in regno Peruano purificationi mercurii inſeruiit.

Sed haec exempli loco commemoraſſe ſufficiant: p. 173. pauca caeterum de adiecta tabula affinitatis ſeu combinationis corporum addamus. Nouam hic theoriam ſe excogitaſſe, putat Cl. Auctor, dum nomen affinitatis reiicit, aliudque combinationis nomen adaptat, cum tamen notum ſit, omnes, qui affinitatis vocula vtantur, ad coniunctionem reſpicere, et per affinitatem cauſam tantum denotare, ob quam duo vel plura corpora coniunctionem ineant. Affinia namque corpora dicimus, quae reſpectu partium conſtituentium et mixtionis maiorem minoremue ſimilitudinem inter ſe inuicem alunt, et ob hanc aptiſſima puncta contactus ſibi inuicem praebent, quo p. 181. facto nexus plus minus firmus efficitur. Aliam cauſſam combinationis ſe reperiſſe, ſibi perſuadet Cl. Auctor. Ad mobilitatem nimirum corporum reſpicit, atque oſtendit, omnia corpora tam ſolida, quam fluida mobilia, atque haec quidem actu mota, illa vero ad motum ſuſcipiendum apta eſſe. Oſtendit deinde, nullam combinationem ſequi poſſe, niſi vnum corporum combinandorum fluidum ſit. Quodſi nunc fluidum ſoluens corpus ſoluendum penetret, molecula ſoluentis aliam moleculam corporis ſolvendi ſeparat, et ob complura puncta contactus ſibi vnit, vnitae autem in hoc ſtatu manent, cum nunc inter mobilitatem relatiuam ſtatus medius ſit, tam diu durans, donec ſoluens potentius accedat, quod, ob mobilitatem ſuam integram et potentiam, alterum corporum vnitorum propellit, cumque altero ſe coniungit. Sed quis vnquam chemicorum, dum corporum coniunctionem declarat, negauerit, motum corporum requiri. An vero ex ſolo motu corporum cauſſa combinationis et cohaeſionis declarari poſſit,

poſſit, resque inde clarior fiat, quam ſi ad ſimilitudinem partium attendamus, aliis diiudicandum relinquimus. De tabula combinationis eiusque expoſitione nihil addimus, ne de ea eandem ſententiam, quam de tabula affinitatis, a Cl. RÜDIGER communicata, tulit Noſter, nos quoque ferre videamur.

XXII.

Noua phyſico medica.

Liceat nobis, antequam quaeſtionem, a ſocietate regia ſcientiarum *Gottingenſi* ad annum 1772 propoſitam, cum Lectoribus noſtris communicamus, ſodales phyſicae claſſis eiusdem, in nupero conuentu publico, die 10 nouembris 1770. habito, electos, nominare. Conſtabit enim in poſterum quinque ſociis haec claſſis, vno nimirum ordinario et quatuor extraordinariis, quorum quatuor in anatomicis, botanicis, chirurgicis et oeconomicis doctrinis perſequendis verſabuntur, et Cl. VOGEL chemicas tractabit. Eorum nomina ſunt haec:

Ordinarius

RUDOLPHUS AUGUSTINUS VOGEL Archiater regius et medicinae profeſſor ordinarius.

Extraordinarii

HENRICUS AUGUSTUS WRISBERG medicinae Doctor et profeſſor ordinarius.

IOANNES ANDREAS MURRAY medicinae Doctor et botanices profeſſor regiae academiae ſcientiarum Suecicae ſodalis.

AUGUSTUS GOTTLIEB RICHTER medicinae Doctor.

IOANNES BECKMANN oeconomiae et hiſtoriae naturalis profeſſor.

Eadem

Eadem eodem conuentu publico, die 16 novembris 1770 habito, eſt conqueſta, ſe nullas elaborationes quaeſtionis 1770. propoſitae atque ita concinnatae: leges inueſtigare, quas ſequitur maſſae ex argento et cupro commixtae grauitas ſpecifica etc. *) eſſe nactam, et aliam 1772 quaeſtionem, ex phyſicis doctrinis depromptam, cum viris eruditis communicauit, ita ſeſe habentem: *quaenam eſt vaporum letiferorum in cauernis nonnullis prope acidula natura? num, ſubducta aeri elaſtica vi, reſpirationem interçludunt? an illi acidam naturam habent et, veſicalis pulmonalibus contractis, mortem inferunt? an ad cerebrum tendunt et facultates animales ſubito ſupprimunt?*

Praemium eſt moneta aureorum Hollandicorum numorum quinquaginta. Commentarii ante initium octobris 1772 Ill. HEYNE, qui ſocietati iam ab epiſtolis eſt, ſunt tradendi. Legum porro, quas ab iis, qui commentarios mittant, ſunt obſeruandae, nulla, cum omnibus conſtent, opus eſt mentione.

Repetimus ideo quaeſtiones, ab academia ſcientiarum, elegantiorum literarum et artium *Lugdunenſi* iam propoſitas et a nobis quoque commemoratas, **) cum legerimus, eas vſque ad ianuarium 1773. ab academia eſſe dilatas. Erant hae: *ex quibus partibus conſtat lympha et in quonam viſcere elaboratur? vtrum vaſa, lympham in ſe continentia, alimarum ſint arteriarum continuationes, an ſua habeat hic humor vaſa, a reliquis vaſis corporis humani plane diuerſa, atque quodnam commodum afferat hic humor oeconomiae animali?* porro in votis habet academia, vt perſequantur *cancri naturam, effectus et optima remedia* docti viri.

Com-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 359.
**) Vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 171.

Commentarii mittendi ſunt ante finem ianuarii 1773. ad Ill. DE LA TOURETTE vel ad Cl. BOLLIVRED MERMET qui academiae ab epiſtolis ſunt, vel ad bibliopolam AIME DE LA ROCHE, ita tamen, vt nulli oriantur eorum cauſſa academiae ſumtus. Reliqua, quae huc pertinent, notata ſunt a nobis in loco, ſupra indicato.

Fore nec prorſus alienum a noſtro inſtituto, nec plane ingratum ſperamus noſtris Lectoribus, duas quaeſtiones, a ſocietate oeconomica, quae *Petropoli* floret, propoſitas et ad rem ruſticam ſpectantes, hic tradere. Cum enim in omni omnino regni Ruſſici ambitu quotannis ſecale hyemale et aeſtiuum variae indolis aliter atque aliter ſeratur, nec adhuc intelligi queat, quaenam vtriusque ſecalis tam ad vſum, quam ad bonitatem vtiliſſima et conuenientiſſima ſint genera, optat ſocietas, vt, collatis variis inter ſe ſecalis ſpeciebus, vtriusque ſerendae variis methodis, plus minusue moleſtis, diſquiſitis et proprietatibus diuerſis erutis, viri docti, hac in re verſati, ſolide definiant *illam ſecalis ſpeciem, infimulque modum tradant, quo haec definita ſpecies pro ſoli cuiuslibet diuerſitate augeri poſſit.*

Ad excitandam huius rei cognitionem, quae experientia nititur et ſtudium pollicetur ſocietas ei, qui optimum hac de re ſcriptum communicabit cum ea, finito ſeptembri 1771, commentarium, monetam auream triginta et quinque numorum aureorum Hollandicorum.

Haec erat prima quaeſtio, altera attinet *varia inſectorum genera*, quae agris ſatis officiunt, ac inprimis eorum, quae, antecedente aeſtate ac autumno, multis in locis Ingriae, ducatus Eſthoniae et Lettiae agros magnopere deuaſtarunt.

Siquidem ſcire refert, vnde haec infecta oriantur et quaenam optima quaeque ſint vel eorum arcendorum vel penitus delendorum remedia. Cuius rei optimae elaborationi definita eſt a ſocietate moneta aurea eiuſdem, vt praecedentis, valoris, et exſpectatur, finito ſeptembri 1772.

Inter varia problemata, partim ex hiſtoria et matheſi, partim ex phyſicis deprompta doctrinis et a regia ſcientiarum ſocietate *Hafnienſi* die 7. auguſti 1770. propoſita, denuo id 1771. viris eruditis traditum intelleximus, quod iam 1769 ab ea eſt vulgatum *). Miſſis itaque iis, quae a noſtro inſtituto aliena videntur, hoc, quod phyſicam attinet claſſem, repetemus.

Inuenire optimam antliarum incendiis compeſcendis aptarum ſtructuram, ita quidem vt cylindri, emboli, communicantes tubi, valuulae, vaſa, ſi quae adfuerint, comprimendo aeri deſtinata, epiſtomia, conſuti e corio ſerpentes, iisdemque annexae cochleae et tubi eiectiui etc. non iuſtum tantum robur, ſed et proportionem legibus hydraulicis conuenientiſſimam ſortiantur, vt vectes, ſuis fulti hypomochliis et ſuſtentaculis ita aptentur ponderibus et potentiis, vt integra machina, aquis hauriendis eiiciendisque inuenta, ſimplex ſit et reparationis minus indiga, vt commode moueri, per anguſtiores plateas facile transferri et ad incendia quaeuis felicius reſtinguenda cum ſucceſſu poſſit adhiberi.

Poſſunt hanc in rem, exceptis ſocietatis ſodalibus, exteri aeque ac indigenae, quibus lingua vel Latina vel Gallica vel Teutonica vel Danica, nulla tamen alia, in conſcribendis commentariis vti licet, inquirere. Hos vero circa finem octobris 1771. mitti atque Ill. Viro HELMSTIERNA potentiſſimo Danorum regi a conſiliis ſanctioribus, qui ſocietatis

*) v. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 549.

tatis mandata curat, impenſis ſolutis, tradi oportet. Praemium monetae aureae centum thalerorum Danicorum, finito ianuario 1772. diſtribuetur. Reliquae commentariorum mittendorum leges non differunt ab aliarum academiarum legibus.

Londini IOANNES KIRCKPATRICK, cuius analyſin inoculationis variolarum in praecedentibus *) commemorauimus, die 7 maii 1770 deſiit viuere.

Ibidem MARCUS AKENSIDE medicinae Doctor, qui inter alia ſcripta obſeruationes de origine et vſu vaſorum lymphaticorum in animalibus collegit et philoſophicis transactionibus inſeruit **) die 23. iunii 1770 vitam cum morte commutauit.

Verſaliae PETRUS SENAC Galliarum Regis conſiliarius et medicus primus, vir fama atque meritis clarus die 20 decembris 1770. octuageſimo aetatis anno diem ſupremum obiit, cuius memoriam poſteritati commendandi nullam praetermittemus occaſionem.

*) v. Comment. noſtr. Vol. IV. p. 125.
**) v. for the Year 1757. Vol. L. p. 322. Comm. noſtr. Vol. IX. p. 687.

XXIII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1766 prodierunt.

PHIL. GEORG. SCHROEDER progr. inaug. ſiſtens variolarum, adulto inſitarum, hiſtoriam variis obſeruationibus illuſtratam. Gotting. 4.

Eiuſd. progr. inaug. ſiſtens variolarum, duobus adultis inſitarum, hiſtorias, nonnullis obſeruationibus illuſtratas. ib. 4.

CHRIST. FRIDR. SCHULZENS *Nathricht von Böhmiſchen Bitterwaſſer und deſſen Salze. Dreſden. 8.*

Die wohl unterwieſene Hebamme von I. H. SCHÜTTE. *Weſel. 8. m. K.*

* * SCHUMACHERS *vermiſchte Nachrichten und Anmerckungen zur Erläuterung und Ergänzung der Sächſiſchen beſonders der Eiſenachiſchen Geſchichte. 1ſte Samml. Eiſenach. 4.* (plurima e hiſtoria naturali continet).

IAC. LUD. SCHURER diſp. de hiſtoria electricitatis. Sectio Ima. Reſp. *Io. Iac. Reutlinger.* Argentor. 4.

* * SCHUSTERS ſchediaſma *des wahren mineraliſchen Gahalts und der eigentlichen Beſchaffenheit des Ronneburgiſchen Geſundbrunnens. Altenb. 4.*

IO. BAPT. MATTH. SCHWARZ diſſ. inaug. de tarantiſmo et chorea viti, quantum ſcilicet inter ſeſe hi morbi aut conueniant aut differant. Vienn. 8.

MART. WILH. SCHWENKE kruydkundige Beſchryving der in en vytlandſche gewaſſen, welke hedendagſch meeſt in gebruyk zyn. f. l. 8 mai.

FRANC. NICOL. SEDEY diſſ. inaug. de ſulphure, ſpiritu eius volatili et acido cauſtico. Vindob. 8.

De

De ſcorbuto liber AUREL. SEVERINI edit. vltima recognita et emendata, cui nunc primum adduntur obſeruationes IO. FRIDER. BACHSTROM et IO. HUXHAM circa eandem materiam. Venet. 8.

Leçons de phyſique experimentale par Mr. SIGAUD DE LA FOND, Tom. I. II. à Paris. 8.

Abhandlung vom Waſſerbau an Strömen von IOH. ESAIAS SILBERSCHLAG. *Leipz. 8. m. K.*

Des Herrn Baron VON SIND *Kunſt Pferde zu zäumen und gut zu beſchlagen, nebſt einer Anweiſung junge Pferde geſchickt abzurichten. Berlin, 8. m. K.*

